





FIDELIS PERSVASIO,

De
Lutherana religione
fugienda.

Certis documentis eandem (cæterasq;
Evangelicorum sectas) non habere
CHRISTUM JESUM authorem: nec
consentire doctrinæ Apostolicæ: nec
inniti Patribus Orthodoxam fidem pro-
fitentibus: sincere demonstrans.

In gratiam Catholicorum facta,
Per

P. F. Joannem Paulum de

Czarnkow, S. T. Lectorem, Majoris
Glogoviz, Sacri Ordinis Prædicatorum,
Priorem.

GLOGOVIAE M. Literis Joachimi Funcij.

PER SVASIO

Lutherana religionis
fugienda.

Certe documentis candens (extersis)
dissimulatione sedis habere
Christi in: nec
demonstrans: sincere demonstrans.

In gratia Catholicorum facta.

P. F. Johannem P. solum de

Czankow, S. T. Lectorem, Majoris
Glozie, sacri Ordinis Predicatorum,
P. F. P. F.

Georgius M. L. in P. F. P. F.



22748



NOBILI, GENEROSO

ac

MAGNIFICO DOMINO,

Domino Adamo Ninievsky,
Patrono Singulari.

Fr. JOANNES PAULUS de CZARNKOW,

S. Th. Lector, Majoris Glogoviz, Sacri Ordinis

Prædicatorum, Prior,

F. P.

Presentem Fidelis Persuasionis libellum, de Lutherana religione abominanda, multis rationibus in lucem proferre, sed hac vel maximè sum adductus, Magn. Domine, ut omnibus veræ Ecclesiæ membris innotescat, authores Fidelis Admonitionis, Doctores Wittebergenses, à veræ sapientiæ & fidei arce graviter decidisse, qui tamen callida astutiâ freti, excellere in suis dogmatibus sibi videntur: dum sordidis negotiationibus impliciti, temerè CHRISTUM JESUM suæ religionis authorem pronuntiant: consensum itidem Apostolorum & Patrum Orthodoxorum per machinationem ad fallendum se habere gloriantur.

Attuli etiam hîc mutuam, illorum præcipuè, qui se novos doctrinæ Apostolicæ reformatores jactitabant, pugnam: in qua se, vel Baptizatos Judæos & Machometa-

nos, vel Nestorianos & Impanatores, vel Eutychianos & Ubiquetarios, libris ac scriptis, magnis vocibus ac plenis buccis, proclamant. Postmodum vanissimas Doctorum Wittebergen sunt in hoc negotio gloriaciones, satis sufficienter, grata brevitate demonstravi. Interea mihi de Patrono, sub cujus tutela hic libellus prodire possit, cogitanti, Tu Generose & M. Domine, solus occurristi, cujus & generis Nobilitas, & operum clara virtus, & erga me, atq; religionem nostram benevolentia, & singularissima beneficia, te satis idoneum hujus libelli Patronum occurrisse testificantur. Tuam enim si generis nobilitatem considero, hæc in nihilo à sui natura declinavit, nec ab antiquorum probitate degeneravit. Illa in te est clara, illa sublimis, illa integra nobilitas, quæ & nemini genere cedit, & virtute ac probis moribus nascitur, & doctrinâ singulari; prudentia exornatur, & illius opera virtuosâ conspiciuntur. Virtutum vero tuarum præstantiam, dum accuratius perpendo, hanc in te, & veræ religio, & autor, tum ipsius, tum patriæ, splendidissime relucere monstrat. Placuit tibi eam, quam à majoribus tuis accepisti, colere, diligenter ac retinere religionem. Scis enim nihil posse fieri delectabile acceptumq; Deo, absq; veræ fidei lumine, sicut nihil delectabile sine luce. Hinc omnibus quasi domesticè est nota tua devotio, affectus ille vehemens, quo te huic sacræ & veræ fidei Catholicæ consecrasti, quod quidem sincerum Deo filium & servum decet.

Quid deinde tuos priores annos commemorabo? Tuæ curæ fuit (hic enim est partus honoris legitimi, & immortalis famæ) in adolescentia variarum disciplinarum exercitatione laborare. Taceo tuos fulgidissimos radios, purpureo

purpureo Martis honore corruscantes. Taceo Tuam ex
rebus bellicis gloriam. Taceo multas expeditiones Va-
lachicas. Non commemoro turbulentissimas bellorum
in Podolia, Hungaria, & alibi tempestates, in quibus Tu a-
certimè cum bellicosissimis gentibus pugnans, decertasti;
sæpe autem prudentissimi præfecti militum munera obi-
ens, hostes infestasti, & laudabiliter profligasti; ac tandem
sic bene de patria meritis, de loco tuæ peregrinationis
ad eandem ut domicilium rediisti; quæ facta sicut sciunt
ita & laudant omnes, & fama illorum immortalis erit.
Præterire autem nec debeo, nec possum Tuam erga me,
religionemq; nostram benevolentiam. Non senescit apud
nos memoria tuorum beneficiorum, quibus Tibi Con-
ventus Glogoviensis (cujus ego curæ nunc præsideo) est
obstrictus. Non fugis Tu pauperum vultus: nunquam
Tibi est vacua à munere manus: Tu nostrum onus pau-
pertatis levius reddis: Tu anchora nostræ indigentæ in-
fallibilis: Tu illi re non verbis opitulari soles: Tuum de-
niq; est creberrimis beneficiis nos ad ambas usque aures
implere. Facultatibus autem licet careamus, quomodo
saltem aliqua ex parte tantæ benevolentæ possimus re-
spondere, primam nihilominus tibi pensionem solvimus,
quia gratè beneficium accipimus, Alteram, quia preci-
bus nostris, quamvis indignis Domino Deo pro retri-
butione centupla sine intermissione supplicabimus: Ac
tandem in testimonium nostræ erga te sinceritatis hoc (li-
cet parvum) munusculum offerimus: quod te grato ani-
mo accepturum non dubito. Vale, Magnifice Domine,
& noster Patronus esse ne desistas.

PROOEMIUM.

Hideli Persuasio, de religione Lutherana fugienda, in gratiam verae fidei cultorum facta, hunc tibi benevole Lector adferet fructum, quia videbis, & quam astutam, Doctores Wittebergenses, sub pectore gestent vulpem, dum CHRISTI pellicula suam vestiunt religionem: & quam benevolum trucidatorem animarum fidelium gerant, dum presumptuose, stridente superbia, ab anne horrifone evolant, fideiq; sua authorem CHRISTUM JESUM, & consummatorem unicum, nominant: & quam vehementer suam crimine mendacij vitam ledant; dum ut fronte patente placeant, fraudeq; latente noceant, gloriantur se, per omnia cum Sanctis Prophetis & Apostolis, consentire: & quam callide mitem agnum fingant; dum suae religioni Patres Orthodoxam fidem profitentes addictos pronunciant. Horum igitur, tam perfidam erga Evangelicos, fraudis atq; insidiarum plenam compassionem, dum mecum attentius accuratiusq; expendere, tristitia magna & continuus dolor cordi meo venit; dum forte multi (ali dolendum,) ob hanc religionis Lutheranae fictam majestatem, quasi pecudes errando, falsa pro veris approbant: Sanctamq; fidem, ut lapsu graviore ruant, calcantes, precipites ad infernum descendunt. Quare, valde utilem ac salutarem me navaturum putavi operam, si certa, infallibili, ac evidenti methodo demonstrarem, & illud, quam se misere periculis ulro offerant hi, quicum viris vitam suam desperantibus congregiuntur, ac ultimam omnium malorum lineam attingere pergunt: & illud (quod est demonstratu facillimum) quam impudenter lucrum religio Lutherana ferre velit ex eo, quia CHRISTI Domini auctoritatem, consensum Apostolorum, & Patrum Orthodoxorum patrociniū, in sua religionis tutelam provocat: & illud, quam iniquis fortune selis, miseri Evangelici confixi, & per Atticam suorum Doctorum eloquentiam seducti, heu parent sibi passura, artibus facta propriis

PROOEMIUM.

propriis vulnera. Hoc semel demonstrato, quis erit Catholicorum sana mentis, qui religionem & doctrinam novam, fallacem, dogmata sadam criminum luem redolentia, mundo nunquam antea audita, praesertim in rebus fidei, unde pendet salus aeterna, antiquâ, certâ, infallibili, CHRISTI & Ecclesia Catholica fide deserta, amplectetur? Illi vero, qui à suis Doctoribus Wittebergensibus monentur, nisi perpetuo velint plane insanire, & subire mala quorum nulla ultima erit hora, merito respicere deberent, non minusq; suos relinquere Doctores, qui in Ecclesia Christi, omnia morbida pravaq; sapiunt, & sua pestifera ac mortifera dogmata emendare nolunt, imo defensare contendunt. Cum vero non oporteat fratres lapsos negligere, neq; contemnere, verum prospicere quidem illis ante peccatum, ceterum etiam post peccatum, multam erga illos prestare curam: hinc in presenti negotio instillare velut oleum rectam intendo doctrinam, praescribendo ea seductis, per quae possunt omnem morbum excludere, ne postmodum valde deplorent suam lugentes calamitatem. Unde ex virtute compatiendo, invito omnes ad rem sole clariorem: videant, judicent, ac cognoscant causas & capita suorum in quibus harēt errorum: nihil sinistro erga adversarios affectu ductus adferam, sed meram veritatem, quae in omnem partem sui semper eadem est, ex solido demonstrabo: quae licet hisce temporibus odium pariat, ego tamen, verum amo, & id quod simplex sincerumq; est, dicere ac omnibus persuadere amplectendum volo. Utinam liceat hodie Evangelicis ex eo fonte potare veritatis, qui apud Brachmanas dicitur esse peculiaris, quem nunquam gustarunt ij, quos falsa opinioniones inebriant, quos merito appellarem adulteros veritatis; cujus tamen caneo ipsorum errores extruduntur.

Assumant igitur hoc salubre conspiciendum, & crassa sui caligine animi remota, non amplius veritatem obscuris prosequantur conjecturis, sed eam puro candidoq; affectu inquirant.

Perioche

Perioche Tractandorum.

Prima Distinctio.

DE CHRISTO AUTHORE FIDEI.

- Capite 1. Quid nomine Evangelicorum intelligendum.
Capite 2. Quid primo requiratur, ut Christus Jesus alicujus fidei author nominetur, & sit.
Capite 3. Demonstratur primo, Evangelicos non habere CHRISTUM JESUM suæ fidei authorem.
Capite 4. Quid secundo requiratur, ut CHRISTUS JESUS alicujus fidei sit author
Capite 5. Demonstratur secundo, Evangelicos non habere CHRISTUM JESUM suæ fidei authorem.

Secunda Distinctio.

DE CONSENSU DOCTRINÆ APOSTOLICÆ.

- Capite 1. In quo fundatur cōsensus doctrinæ Apostolicæ.
Capite 2. Lutherani & Evangelici non consentiunt per omnia cum Apostolis.
Capite 3. Idem probatur.

Tertia Distinctio.

DE PATRIBUS ORTHODOXÆ FIDEI.

- Capite 1. Patres Orthodoxæ fidei non fuerunt religioni Lutheranz addicti, sed neq; Calvinianæ.
Capite 2. Hoc idem demonstratur.

Quarta Distinctio.

DE PATRIBUS CITATIS IN CATALOGO TESTIUM VERITATIS

- Capite 1. Patres in Catalogo testium veritatis citati, non fuerunt religioni Lutheranz addicti.
Capite 2. D. Thomas Doctor Angelicus, pro peculiari teste veritatis in Catalogo notatus, non favebat religioni Lutheranz.

Distinctio Prima.

DE CHRISTO JESU AUTHORE FIDEI.

CAPUT PRIMUM.

Quid nomine religionis Evangelicæ intelligendum.

Idem Evangelicorum non unam, sed multiplicem, pro sectarum varietate, indubie asserimus: hi enim in Sacramentarios, Lutheranos & Anabaptistas divisi, adhuc in plures sectas inferiores subdividuntur: nam Sacramentarii alii veteres ut Carolstadius, Zvinglius, Oecolampadius, alii novi à Lutheranis vocantur, ut Calvinus, & Beza, & quotquot ipsi adherent. Illi igitur veteres primum anno 1542. cum Luthero congressi, pugnam Sacramentariam exorsi sunt, hi vero novi adhuc sunt divisi in Puritanos, Calvinopapistas, Clancularios, Politicos, qui non de lana caprina, sed de gravissimis fidei dogmatibus inter se rixantes, mutuis pugnis seipsos persequuntur. O ridiculum, dum gamma Betam persequitur! Lutheranorum vero sectas quis posset enumerare, dum quidam Antinomi, Osiandrini, Stanca-riani, Flacciani, Ubiquetarii, Substantiarii, Accidentarii, Majoristæ, Synergistæ, Adiaphoristæ, &c. adderem ego Talmudistæ, Machometistæ, Sathanistæ, vocitantur?

Horum igitur temeritas, commodam mihi dimicandi facultatem præbuit, dum ferè singulorum capita, insanabili laborantes delirio, incerta pro certis habere volunt, falsa pro veris docent, & non aliter quàm veritatis proditores, mendacium pro veritate loquuntur, quia tam Lutherani, quàm Calvinistæ, ceteraq; excrementa eorundem, fidei suæ CHRISTUM JESUM Authorem nominant, atq; se consentire per omnia cum sanctis Apostolis gloriantur. Sic

Doctores Wittebergenses, in fideli sua admonitione, omnem veneni mortiferam rabiem superantes, vitiosum anhelitum suo produunt Fidel. Ad- ore, dum dicunt: *Nominamus sanctum illum Sanctorum CHRIS- mon. f. 73. TEsu[m] fidei nostrae authorem & consummatorem unicum; Nominamus Sanctos Prophetas & Apostolos cum quibus per omnia consentimus: Nominamus primos Patres Orthodoxam fidem profitentes, quorum nonnulli fuere Monachi, sed non sub opinione meriti vel cultus; sed aut propter necessitatem & persecutiones Imperatorum, aut propter utilitatem juniorum, quos informabant. Et licet Patres nonnulli navis non omnino caruerint, fundamentum tamen fidei de gratuita justificatione, de solo DEO invocando, de uno fidelium capite CHRISO, &c. illibatam tenuerunt; atq; sic non hodierna Romana, sed antiquae Apostolica, quae et talem nostra est, religioni fuerunt addicti: quos postmodum secuti sunt alij per singulas centurias uti refertur in catalogo testium veritatis, donec tandem DEUS excitavit Megalandrum Lutherum. Haec illi. At nescio quid ab immundis mundari & a mendacibus verum dici debeat: videbit enim quisq; quam egregiam Doctores Wittebergenses picam gerant, utpote, qui ab anteriori parte candidi, posteriori autem nigricent. CHRISTUM JESUM fidei suae authorem, Apostolorum & Patrum Orthodoxorum consensum simulant, & mox suo, in quo non habent modum, mendacio, alios decipere & cludere volunt. Quadrat illis sane illud quod Conradus Reis Sacramentarius in libello Germanico contra Heshusium de Luthero loquens scribit: DEUS propter Spiritum superbia, quo se extulit, verum illi Spiritum abstulit, atq; in ejus locum Spiritum mendacem dedit, atq; hic Spiritus mendax in omnibus iis quodq; manebit, qui partes ipsius sequuntur, nisi ad sanio- rem mentem revertantur. Hi igitur omnes sive Lutherani sive Calvinistae nominentur, quam multum in hoc passu obtemperent labijs mendacibus, in praesenti demonstrabimus. Facile autem haec quisq; in his Sectariis deprehendet, cum ipsi se suis coloribus pingant, unde in animis illorum multas esse latebras facile colligi potest.*

CAPUT SECUNDUM.

Quid requiratur, ut CHRISTUS JESUS alicujus fidei author, & consummator nominetur, & sit.

Quemadmodum salus æterna nemini mortalium contingit, nisi firma fide credat, CHRISTUM JESUM Dei Filium, verum illum Messiam, verum & natura Deum, ex substantia Patris esse genitum, ratione substantiæ cum Patre esse idem, Eundem esse filium unicum æterni Patris, Omnipotentem, verum Deum & hominem, sanctum & justum, cultu vero Deo debito adorandum & invocandum, duarum naturarum non confusarum unam personam: ita nemo suæ fidei CHRISTUM authorem & consummatorem nominare potest, nisi hæc prædicta fideliter de eodem credat, utpote earum quæ de ipso clarus Scripturæ textus, pius veræ Ecclesiæ, & omnium Sanctorum Patrum, atque Doctorum consensus, item omnium Orthodoxorum Conciliorum, sicut tria Symbola Ecclesiæ, Apostolicum, Nicænum, & Athanasianum, probè ac evidenter testantur. Est autem quasi domesticè notum omnibus (nisi quis velit accusare imbecillitatem & caliginem sui in Scriptura ingenii) CHRISTUM Dominum vere & natura DEUM, ex substantia Patris esse genitum, *Matth. 3. v. 17. Luc. 1. v. 32. Joan. 1. v. 14. 18. 39. 49. Rom. 1. v. 3. Ibidem* patet eundem ratione substantiæ cum Patre esse idem. Eundem esse Filium unicum æterni Patris Patet, *Matth. 3. v. 17. Rom. 1. v. 4. Joan. 13. v. 20. Omnipotentem, Joan. 3. v. 31. Apoc. 1. v. 8. Philip. 3. v. 21. quibus probationibus CHRISTUS verus DEUS demonstratur. Eundemq; sanctum & justum esse, sole clarius est. Cultu DEO debito adorandum & invocandum, Rom. 1. v. 7. 1. Cor. 1. v. 1. Hebr. 1. v. 6. Joan. 5. v. 23. Apoc. 4. v. 8. Duarum naturarum non confusarum unam esse CHRISTI personam, id nedum infinita Sacræ Scripturæ loca abundè explicant, sed etiam indubitata antiquorum authoritas Theologorum corroborat. Quo fit, ut omnia ac singula vera Ecclesiæ membra, veri Catholici, nulla hac in re animi laborantes discordia, clara fide asserant, CHRISTUM JESUM esse vere & natura DEUM, ex substantia Patris genitum, cum eodemq; ratione substantiæ esse idem, & cætera superius de ipso Catholice*

enunciata, præciso quovis æncipiti animo, profitentur ac tuentur: quæ iidem omnis religio profiteri ac tueri debet, si suæ fidei authorem & consummatorem CHRISTUM JESUM habere voluerit. Nunc igitur omnes animadvertant, ut ea quæ sentio pariter sciant.

CAPUT TERTIUM.

Quod Evangelici CHRISTUM JESUM non possunt fidei suæ authorem & consummatorem habere, demonstratur.

Vellem ut Evangelici occasione hujus tituli, deponant vesanos animi tumores, seq; pietati referant: non enim litem ferere, sed meram veritatem in ore atque oculis omnium propalare volo, & tali argumento id quod irrevocabiliter assero, demonstrative probo.

Illorum religio vel fides, non potest CHRISTUM JESUM authorem & consummatorem habere, qui immanissimè blasphemantes, dicunt eundem ex substantia Patris non esse genitum, Patri non esse consubstantialem, nec filium unicum ejusdem æterni Patris, Non Omnipotentem, Non summè sanctum nec beatum, Non adorandum cultu divino, nec invocandum, eundemq; esse duarum naturarum confusarum.

At qui Evangelici apertè dicunt, CHRISTUM JESUM non esse ex substantia Patris genitum, Patri non esse consubstantialem, Nec filium unicum ejusdem æterni Patris, Non Omnipotentem, Non summè sanctum nec beatum, Non adorandum cultu divino, nec invocandum, eundemq; esse duarum naturarum confusarum.

Ergo religio vel fides Evangelicorum, non potest CHRISTUM JESUM authorem & consummatorem habere.

Major est evidentissima ex eo, quia removee ea à CHRISTO quæ ipsi pro rei veritate, ac dignitate conveniunt, de quibus infinitus textus Sacre Scripturæ testatur, est destruere formale objectum fidei, quæ est veritas prima, cui credimus, & materiale, id est, articulos fidei in Symbolo Apostolico contentos.

Minor probatur. Primo dicunt Evangelici CHRISTUM JESUM non esse ex substantia Patris genitum. Inprimis Calvinus contra Gentilem sic argumentatur, pag. 917. *Si divinitas Patris erit in Filio, ex parte jam lacera erit divinitas, si totum, ergo jam divinitas in Patre evanuit, & ea privatur Pater.*

Et iterum ibidem: *Si æterna Patris essentia est in Filio, etiam persona Patris communicabilis erit.*

Et sic, juxta fidem Calvini, nulla erit in Filio divinitas, aut certe alia à divinitate Patris: & cum Persona Patris sit incommunicabilis, essentia quoque secundum Calvinum erit incommunicabilis.

Idem Calvinus in actis Serveti pag. 250. & alibi, sæpius scribit Filium DEI habere substantiam à Patre distinctam, ex quo sequitur eum esse distinctum à Patre DEUM.

Beza deinde, docet essentiam divinam esse realiter & ab æterno distinctam, adeoque triplicem in divinis personis, ita enim expresse dicit in magna fidei confessione Gallica. *Verbum DEI clare nos docet, quod ista essentia divina sit distincta realiter, & ab æterno in tribus personis.*

Quid vero ille excitatus Megalander Lutherus, quem Wittebergenses plurimis Papistarum Doctoribus opponunt, in hac resentiatur, quomodoque suæ perfidæ fidei, rationem reddat, audiatur, dum aperte scribit: Divinitatem esse triplicem, vel trium generum, quemadmodum tres personæ. Ex hac Lutheri immanissima triplicitate, infert contra eum Zuinglius Tom. 2. in responsione ad Lutheri libr. de Sacramento fol. 474. *necessario in divinitate, tres naturas, tres Deos statuit.*

Philippus deinde Melancthon in locis editis Basilæ anno 1549. cap. de CHRISTO dicit, Tres esse divinitates sicut tres sunt personæ. Unde mysterio non caret, quod Lutherani passim in Bibliis

Suis germanicis penitus eraserunt illud præclarum Apostoli pro
S. Trinitate testimonium, *Tres sunt qui testimonium dant in celo, Pa-
ter, Verbum, & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt.*

Secundo dicunt Evangelici CHRISTUM Dominum, non
esse Patri consubstantialem, quia in ipso nullam divinitatem
agnoscunt.

Calvinus enim 2. Instit. cap. 14. §. 3. illud 1. Cor. 15. Tunc &
ipse Filius subjectus erit ei, exponit & intelligit, de natura ejus di-
vinæ. Unde & in Epistola ad Polon. pag. 941. docet non esse ab-
surdum, concedere Filium esse Patre minorem, & secundum divi-
nitatem apud eundem intercedere.

Beza epistola 28. idem sentit, affirmans CHRISTUM secun-
dum utramque naturam humanam & divinam, fuisse Patri, pro no-
bis obedientem.

Hujus procacitatis sunt participes & Lutherani, nam Philip-
pus Melancthon ubi supra: *Natura (inquit) divina non est mortua,
sed fuit obediens Patri.* Eandem doctrinam ex professo tradunt au-
thores Concordiæ pag. 663. ubi sic dicitur: *Cum obedientia CHRI-
sti non sit unius duntaxat nature, sed totius persone.* Unde in opinio-
ne illorum CHRISTUS Dominus secundum utramque naturam,
fuit obediens: quod planè Arrianum est, & veram CHRISTI di-
vinitatem destruit. Nam si CHRISTUS ut DEUS, Patri obedi-
vit, certe minor est Patre in quantum DEUS est: & sic, vel non
est DEUS omnino, vel certe alius DEUS à Patre.

Tertio, Docent Evangelici CHRISTUM non esse filium
unicum æterni Patris. Nam Lutherus in Concione de natali Do-
mini, duos facit CHRISTOS, Unus est CHRISTUS Deus Omni-
potens, alter CHRISTUS homo non Omnipotens. Hunc aper-
tissime sensum quondam Nestorius tutatus est.

Hoc idem Beza pag. 19. Præfationis in responsione ad Collo-
quium Mompelgart. docet.

Quarto docent Evangelici CHRISTUM non esse Omnipoten-
tem.

Communis enim est Calvinistarum hujus temporis senten-
tia, CHRISTUM sua totali potentia non posse efficere, ut suum
corpus

corpus in diversis simul existat locis. Hic est sensus Calvinistarum in confessione eorundem edita & Geneva 1563. impressa, ubi omnipotentiam Dei suppresserunt, & perinde ac si nulla esset in eo, rescuerunt.

Lutherus etiam in Concione de Natali Domini ait: *Imperitos quosdam facere CHRISTUM hominem omnipotentem.* At si homo CHRISTUS non est omnipotens, pariratione non est DEUS, ex quo enim non est omnipotens, DEUS esse non potest.

Quinto docent Evangelici CHRISTUM non esse summe sanctum, nec beatum, Oro lectorem benevolum advertat, quam longe recessit Evangelicis irrevocabilis ab ore pudor. Verum illud periisse duco, cui quidem perit pudor.

Calvinus ergo i. Instit. cap. 18. §. 3. ait: DEUM esse authorem eorum omnium, quæ Papistæ otiose eum permittere ajunt. Sed Papistæ docent peccata omnia DEO permittente fieri, ac proinde omnium peccatorum author Calvini judicio DEUS erit. Et licet hæc verba Calvinus de DEO non de CHRISTO protulerit, quadrant tamen juxta Calvinum & de CHRISTO cum ipsum non neget esse DEUM, licet distinctam à Patre.

Lutherus autem paulo largius de CHRISTO scribit in Psalmi 22. verba: DEUS meus quare me dereliquisti?

Quid ergo dicemus? Simul CHRISTUM summe justum, & summe peccatorem, simul summe mendacem & summe veracem, simul summe gloriatorem & summe desperantem, simul summe beatum, & summe damnatum, Nisi enim hoc dixerimus, non video quomodo à Deo sit derelictus.

Pari blasphemia Lutherus Tomo 4. Latino Jenæ in cap. 3. ad Gal. ait: *Omnes Propheta hoc in Spiritu de CHRISTO præviderunt, quod CHRISTUS futurus esset omnium maximus latro, homicida, adulter, fur, sacrilegus, blasphemus.*

O blasphemiam venia indignam! O vecordem hominis mentem! an injuste in diem perditionis servatur, ut ad diem furoris ducatur? Gloriantur Wittebergenses Lutherum primum mundo CHRISTUM divulgasse, eundemq; ante ipsius tempora esse incognitum: Vera sanè hæc sunt in quodam sensu verba, Nam certum est, quod ante Lutheri & Wittebergensium tempora, CHRISTUM

Distinctio Prima.

qui esset peccator, mendax, latro, blasphemus, adulter, mundus pe-
nitens ignoravit, & adhuc ignorasset, nisi Diabolus has horrendas
blasphemias in CHRISTUM, per hunc inferni bucephalum Luth-
rum, & ejus tibicines divulgandas reservasset.

Sexto docent Evangelici CHRISTUM non esse adorandum,
nec invocandum.

Calvinus in harmonia passim negat, CHRISTO honorem divi-
num unquam in Evangelio exhibitum.

Item Petrus Richerius Calvinista, ut refert Villagagnio ad art.
Galvini, negavit personam CHRISTI supplicandum esse, ne humani-
tatem illius divino honore afficiamus.

Lutherani in hoc passu devotiores, Nam Joan. Schuts Lu-
theranus libr. 50. causarum cap. 48. audacter asserit, Machome-
tismum, Arianismum, & Calvinismum, fratres & sorores esse, &
tres caligas ejusdem panni: habuit autem iste vir bonus motivum,
ex ista de CHRISTO Calvinistica blasphemia.

Mirum ne erit Catholico Lectori, si sanctis cultum ac invo-
cationem negant, qui sanctum Sanctorum Christum nec adoran-
dum, nec invocandum esse censent? ad quid miranda est lingua eo-
rum non redarguta? jam in hoc passu multis rationibus convicti,
non cedunt tamen, sed tergiversantur reclamantes, adversus suam
ipsorum conscientiam: hæc enim palam dicere nil eos pudet propter
impudentiam.

Septimo docent Evangelici in CHRISTO esse duas naturas con-
fusas, vel etiam duas personas.

Calvinus 1. Institut. cap. 13. §. 9. 23. clare separat in CHRISTO
personam Mediatoris, à persona divina.

Beza contra Brentium: *In CHRISTO (inquit) sunt dua uniones
hypostaticæ, una inter corpus & animam, dum sibi personaliter jungun-
tur, altera inter Verbum & hominem, ut simul conveniunt, ad unum
constituendum CHRISTUM.*

Lutherani autem ut patet ex libro Concordiæ & plurimis
aliis Ubiquitarianorum scriptis, duas in CHRISTO cum Eutyche natu-
ras confundunt, dum proprietates naturæ divinæ, ajunt esse com-
municata-

municatas naturæ humanæ. Unde & divinitatem CHRISTI dicunt esse passam, ut inferius ostendetur.

Verum nihil isti Evangelii deformatores, attulerunt novi: Notum enim est Lutheranos per hoc assertum esse Nestorianos & Eutychianos, Calvinistas, Nestorianos, utrosq; pessimos hæreticos, damnatos olim à Concilio Chalcedon. art. 5. & Tolerano II.

Nunc igitur

Pramissis veris sequitur conclusio vera.

Ergo religio vel fides Evangelicorum, non potest
CHRISTUM JESUM authorem & consumato-
rem habere.

Considerent ergo Doctores Wittebergensis, sui auctoritatem, Megalandri, qui quadam gravitate, & eminentia; vitæ probitate ac scientia (ut ajunt) præditus, optimum hieroglyphicum impudentiæ factus, perverse de rebus altissimis judicavit: & confidens in sermonibus mendacii, prophanè ac irreverenter DEUM blasphemavit. Et Doctores Wittebergenses quid? an non tradunt operas cum Luthero mutuas? an non illis velle & nolle cum Luthero idem? Non diffido, etenim Cornicum mira inter se concordia vitæ est: novit bestia bestiam, norunt Lutheri doctrinam, à qua Wittebergensibus discedere illicitum est.

Lutherus ut ante ostensum est, necessario in divinitate tres naturas, tres Deos statuit; ejusq; calefactor Philippus, tres divinitates, sicut sunt tres personæ. Et Wittebergenses, nescio cur in fideli sua admonitione fol. 237. ex Augustanæ Confess. art. 1. dicunt, quod sit essentia unus, personis trinus. Quid vobis venit in mentem? Quid vocatis Lutherum, Domine, Domine, & non docetis quæ ipse docuit? Cur non sequimini sententiam ejus? jam aliud genus remi arripitis, forte quia vobis novitas gratissima. O mendaces, dicite aut hæc blasphema doctrina non Lutheri fuit, aut Lutheri: si non, monstrate, si Lutheri, cur vos membra illius, capiti imperanti ac præsidenti non obeditis, ejusq; spiritu conglutinati non idem docetis? Excusatis forte in hoc passu Lutherum, dum fol. 208. dicitis: *Multa crimina nobis (Papista) præter omne meritum assingunt, ut Lutherum suam doctrinam ab ipso Diabolo didicisse.* Adhuc hæc

in re dubitatis? Aut ergo hanc blasphemiam Lutheri non esse demonstrare, aut illam esse Sathanicam concedite, quis enim tam turpia dicta pronunciare potuit, si non tympanum diabolicum? Quare relinquenda sunt potius vobis hæc astutæ & fraudulentæ calliditates, ne sicut Lutheri, ita & vestra res ad restim redeat.

CAPUT QUARTUM.

*Quid secundo requiratur ut CHRISTUS JESUS author
fidei & consummator nominetur.*

HÆc est Orthodoxorum in dubia fides, quia CHRISTUS JESUS DEI filius, statim post lapsum in Paradiso, est promissus; sanctis Patriarchis promulgatus, promissionibus certis confirmatus, Sacrificiis Mosaicis præfiguratus, certissimo Prophetarum præconio prænuntiatus; tandem in temporis plenitudine verè exhibitus, verus homo, caro de carne vera, Ex Virgine Maria natus. Per hoc enim: *Ecce virgo concipiet, & pariet Filium.* non concepturam tantum virginem, sed & parituram dixit Angelus. Unde Augustin, in quodam sermone de Natal. Domini. *Eas non erat ut per ejus adventum volaretur integritas, qui venerat sanare corrupta.* Hinc congrue credit Ecclesia Catholica, Beatissimam Virginem præ cæteris majorem à CHRISTO gratiæ plenitudinem obtinuisse, cum magis appropinquet quàm cæteri, principio gratiæ, nimirum CHRISTO. Decebatq; eandem tanta gratia sanctificari, quantam habere condecebat matrem DEI electam: & licet cæteri hominum dicantur habere gratiam DEI, non tamen per coæqualem gradum gratiæ. Unde Hieronymus in sermone de assumptione, dicit: *Bene gratia plena, quia cæteris per partes præstatur, Maria vero se totam simul infudit gratia plenitudo.* Beda vero Homilia in cap. II. Luc. sic ait: *Hoc in loco beata DEI genitricis excellentia, commendatur, quia in tanta speculationis custodia Domino serviebat, quod ipsius humilitati & sanctitati nullus sanctorum comparatur.* Ac proinde alicui mortalium facere suam Sanctitatem, æqualem Sanctitati B. V. est comparare Belial ad CHRISTUM, tenebras ad lucem.

Secundo indubiè Ecclesia Catholica credit, CHRISTUM Dominum esse passum, crucifixum & mortuum: Passum autem, non quia DEUS verbum in sua natura passus sit, aut plagas, aut clavos, aut transfixiones, aut alia vulnera susceperit (DEUS namq; incorporealis & extra passionem est) sed quia corpus illud, quod ipsi proprium factum est, hoc sustinuit in una existente persona. Duas naturas habuit, Deitatis scilicet, qua ante sæcula genitus, & humanitatis quâ diebus ultimis editus est. In illa secundum formam DEI, in ista secundum formam servi consistēs: In illa Patri manēs æqualis, in ista sine peccato similis nostræ conditioni: In illa inviolabilis, in ista passibilis: In illa ex qua mori non potuit, in ista ex qua mortem suscepit, ut hominem redimeret, & peccatum destrueret.

Tertio Ecclesia Catholica credit, *Nos esse lotos à peccatis in sanguine CHRISTI*, Apoc. 1. *liberatos à potestate Diaboli*, DEO *reconciliatos per mortem ipsius*, Rom. 6. Ita quod omnes habeamus fiduciam: *in introitum Sanctorum scilicet celestium in sanguine ejus*, Hebr. 10.

Passio enim ejus, fuit sufficientissima ad satisfaciendum pro peccatis, non tantum nostris, sed etiam infinitorum mundorum, quantum est ex seipsa. Unde, cum sit personæ æternæ, relinquitur quod etiam sit infiniti vigoris ac pretii, ad satisfaciendum æqualiter absolute; imo etiam plus quam æqualiter, pro offensis DEO ab omnibus hominibus, quocunq; tempore factis, sive in præteritum sive in futurum.

Credit item indubitātē Ecclesia Catholica, CHRISTUM Dominum (ut docet Symbolum Apostolicum) *descendisse ad inferos*, vel ut D. Paulus dicit, *ad inferiores partes terræ*, Ephes. 4. *exposuisse principatus & potestates*, Colos. 2. *& sanguine sui testamenti, emisisse vinctos de lacu*, Zach. 9. Credit autem eundem, per essentiam suam, id est, per realem animæ divinitati conjunctæ præsentiam, descendisse solum ad locum inferni, ubi iusti detinebantur, non autem ad infernum damnatorum: nam asserere ibidem aliquid eundem pati, plus quam blasphemia est. Credit deniq; ipsum ascendisse ad cælos, ut ipse testatur: *Ascendo ad Patrem meum*, Joh. 20.

Et *sedere ad dexteram illius*, Marc ult. Hæc adeo sunt necessario credenda, ut hujus fidei contraria fides, nec CHRISTUM JESUM sui authorem habere, nec suos salvare, possit.

CAPUT QUINTUM.

Evangelici non possunt sue fidei CHRISTUM JESUM habere authorem & consummatorem.

Illorum fides non potest sui authorem CHRISTUM JESUM habere, qui gloriosam illius Nativitatem, horrendè cõtaminant: Passionem ejusdem, & beneficium redemptionis, ac descensum ad inferos, extremis blasphemiiis lacerant: & ascensum in cœlum pessimè interpretantur.

Sed Evangelici gloriosam CHRISTI nativitatem, horrendè contaminant: Passionem ejusdem, & beneficium redemptionis, ac descensum ad inferos, extremis blasphemiiis lacerant: & ascensum in cœlum pessimè interpretantur.

Ergo fides Evangelicorum non potest sui authorem CHRISTUM JESUM habere.

Majorem nemo (nisi forte Paganus) negare potest, cum illa omnia ingrediantur neintrinsecam rationem objecti fidei, saltim materialis.

Minorem probo, Inprimis Evangelici gloriosam CHRISTI Nativitatem horrendè contaminant.

Inprimis Lutherani ex sua Concordia facile consequentiam inferre possunt, quod non potuerit CHRISTUS concipi de sola Virgine MARIA nec ex illa nasci: Nam si verum est, ut ibidem docent naturam CHRISTI humanam, statim ab incarnatione ubiq; fuisse, verum etiam erit dicere CHRISTUM Dominum statim fuisse in uteris omnium, tam fœminarum, quàm virorum: nec potuit unquam nasci ex MARIA Virgine. Nonne recta est secundum illos
ratioci-

ratiocinatio? Nativitas CHRISTI ex utero, nil aliud est, quàm egressus ejusdem ex utero: sed qui est ubiq;, non potest de loco ad locum moveri, ergo CHRISTUS qui ab incarnatione fuit ubiq;, non potuit unquam ita egredi ex utero, ut simul etiam non maneat in utero. Has igitur sine capite fabulas, procreavit Lutherus: quia suæ garrulitatis nunquam mensuram novit. Secundo, Lutherus impiissimè contaminavit CHRISTI gloriosam nativitatem, quæ fuit ex Virgine pura, superante reliqua humanæ naturæ individua plenitudine gratiæ & sanctitate, ut etiam testimonio Patrum comprobatum est. At Lutherus ultra peram sapiens, ut pagina illius pro more bullatis turgescat nugis, seipsum in sanctitate parem B. V. facit, dum in 1. Epist. Petri, 1. Tomo. s. dicit: *Quia hac Evangelica fide rogati, sumus filii & heredes DEI, pares sumus in honore & sanctitate, D. Petro, D. Paulo, Deipara Virgini, & omnibus Divis.* Et sermone de Nativitate: *Tam nos Sancti sumus, atq; Maria, & alij Divi quantum vis magni, si modo in CHRISTUM credamus.* Hinc nihil aliud sequitur quam quod Lutherani, sint tam magni in cælo, quàm est ipsa Virgo Beata. Unde quidam discipulus de suo Megalandro,

CHRISTUS habet primas, habeas tu Paule secundas

At loca post illos, proxima Luther habet.

Deinde Evangelici sacratissimam Passionem CHRISTI, impiè blasphemant: Lutherus enim cum suis, divinitatem in cruce esse mortuam, palam docet ac defendit. Inprimis hoc semper sensitse & docuisse Lutherum, probat Andreas Musculus, in lib. de Concordia, discipulorum Lutheri: & ipsemet Lutherus in Confessione de Cœna Domini sic ait: *Si ego humanam tantum naturam pro me passam credo, CHRISTUS ille simplex, vel infirmus mihi Salvator est, tum ipse bene indiget alio Salvatore.* Quid ergo Luthere ex tua blasphemia sequitur? Illud certe quod Zwinglius ad tuam hanc Confessionem dicit: *Si juxta Deitatem quog; passibilis est, DEUS certe non esset.*

Existimasti te aliquid novi his tuis execrationibus attulisse, quia tibi semper

Calphurni: *Vilia sunt. quæcumq; prioribus annis*

us. Eccl. 7. *Vidimus, & sordet quicquid spectavimus olim.*

at tu antiquiora diphtera loqueris, & nugas jampridem obsoletas narras, qui antiquam, ac damnatam hæresim, Eutychetis, Acephalorum, & Appollinaris repetis: sane tu es omnium horarum homo, sordens ut antiquus piscis.

Calvinus deinde execrandas blasphemias in CHRISTI Passionem, mortem, & meritum docet. Inprimis 2. Instit. cap. 16. §. 10. ait: *Dires in anima cruciatus, damnati ac perditionis hominis periculis.*

Idem in 27. Matth. *Sic videmus CHRISTUM ex omni parte vexatum fuisse, ut desperatione obrutus, ab invocando DEO destitutus, quod erat saluti renunciare.*

Beza super ad Hebr. 5. v. 7. ait: *CHRISTO Divina maledictionis horrore percussus, elapsa est vox desperationis.*

Cessit ex corde istorum blasphemorum timor DEI, cessit ex ore pudor, qui ex industria & plena advertentia, in commentariis suis in Scripturas Sacras, quibus verbi DEI verum & genuinum sensum populo se tradere profitentur, hæc, & alia multo plura evolvuerunt, quæ nos in præsentem non citamus, cum excedant sinceræ limites pudicitie.

Idem Calvinus Passionem CHRISTI extenuat, dum contra Iesum scribit. CHRISTUM Dominum non pro omnibus hominibus, sed tantum pro paucis electis Calvinistis esse mortuum. Deinde docet Mortem CHRISTI, non ex aliquo CHRISTI merito, aut ulla CHRISTI iustitia, sed ex gratuito DEI Patris favore fuisse premium redemptionis. Hoc idem Foxus in Actis, pag. 487. hoc Beza sentiunt, qua sua doctrina perversissima, nedum redemptionis nostræ opus ac meritum, sed etiam signum CHRISTI Salvatoris, ex animis & oculis omnium penitus evellere, ad anihilandam CHRISTI inter homines memoriam, student. Unde Beza in Colloq. Mompelgart. ait: *Fateor me ex animo CHRISTI crucifixi imaginem detestari.*

Postmodum Evangelici Descensum CHRISTI ad inferos, extremis lacerant blasphemis.

Et Primo Calvinus 2. Instit. cap. 16. §. 8. ait, illam particulam de descensu CHRISTI ad inferos, non adeo fuisse olim in Ecclesiis usitatam. Beza in 2. Apologia ad Sanctesum, arbitratur hunc articulum, in symbolum per oscitantiam irrepsisse. Uterq; men-

titur

tur; quia nemo est Patrum, à tempore Apostolorum, qui non in suis Scriptis, descensum Christi ad inferos commemoraret.

Lutherus autem hirundinum Musea, ut unum ex alio mendicium connectere possit, nullum hujus operis finem, ac modum invenire optat, & dicit infernum damnatorum nihil esse in rerum natura: sic enim scribit in Jonam Tom. 3. German. Jona, fol. 212. *Quid sit infernus, ante diem extremum, non dum satis certus sum: nam esse peculiarem aliquem locum, ubi nunc sunt animæ damnatorum, sicut pingunt Pictores & ventris mancipia docent, id mea sententia nihil est.* Ecce quam clare ostendat se adhuc ignorare, quid de inferno credere debeat.

Consideremus autem hominem, semper contradicentem, qui tam inepte loquens & negans infernum, mox verba alata, quæ revolare nesciunt, profert: dum CHRISTUM descendisse ad inferos, nihil aliud esse existimat, quàm eundem sentire dolores, & angustias mortis, in iisq; animam tandem exhalare. ita Luther. Tom. 3. Germ. fol. 112.

Apertius idem Lutherus docet, Christum post mortem verè ad inferos damnatorum descendisse, ibiq; peccatorum nostrorum poenas luisse. ita enim Tomo 3. Wittebergæ Anno 1553. in Psalm. 16. pag. 279. scribit: *Et si multi Sancti in sepulchro, & inferno, absq; dolore fuisse credantur, qui & in pace mortui sunt: tamen CHRISTUS sicut in summo dolore mortuus est, ita videtur & dolores in inferno sustinuisse, ut nobis omnia superaret.*

Calvini hæc eadem est blasphemia: dum in cap. 3. ad Gal. ait: *CHRISTUM in assumptæ hominis naturæ, vere peccatorem & reum fuisse maledictionis æternæ.*

Beza quoq; in 26. & 27. cap. Matth. ait: *Ingenti onere ira divine obrutus, flammis inferni addictus, profundo inferni gurgite sepultus, demersusq; periit.*

Deniq; Evangelici ascensum Christi ad cœlos pessime interpretantur, quia articulum Symboli Apostolici, à vero veræ fidei sensu detorserunt.

Calvinistæ enim Spiritu vertiginis laborantes, multa hac in re scitu indigna protulerunt: Unum ex Calvino lib. 2. Instit. cap. 14. §. 3. commemorabo, ubi ait: *CHRISTUM non semper ad dexteram Patris sessurum, sed solum usq; ad diem judicij, quo tempore desinet esse DEUS caput CHRISTI.*

Idem Calvinus docet in 16. cap. Lucæ: *CHRISTUM non esse primum qui cælos penetraverit, in iisdemq; receptus sit, sed omnes justos antiquæ legis hinc migrantes, in cælis longe antea receptos esse, vult.*

Ubiquetarii autem, dexteram DEI, non in cælo, sed ubique locorum, in omnibus creaturis esse docent, quocunq; se virtus DEI, ipsiusq; operatio diffundit.

Isti igitur omnes, quia nescierunt retinere animi verba furentis, & blasphemantes DEUM, non egerunt pœnitentiam, talem mententur Conclusionem:

Ergo fides illorum non potest sui authorem CHRISTUM
JESUM habere.

Vos pro nunc Doctores Wittebergeneses, qui cum Luthero mendacium pro vira ducitis, non reprehendo: suadeo tamen, ut à vobis pietatis fœdera servantur, fraus itidem absit, & tandem vacuum habeto calliditatis animum: si enim hæc, quæ Lutherus docuit, vos pro irrefragabili DEI verbo credendum inculcatis, certe tristem in animis simplicium literam exaratis, & nescio quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis. Ad cujus confugietis auxilium, & ubi derelinquetis gloriam vestram, ne incurvemini sub vinculo ut cum interfectis cadatis. *Revelabunt caliginositatem vestram, & terra consurget adversum vos.*

Pius autem & Catholicus Lector, attenta hæc cogitatione auscultet, mentemq; ad nudæ contemplationem veritatis dirigat: verum examinet, ficta & fucata exploret, terna hoc opus religionis Evangelicorum consideratione præveniat, prius quidem an liceat, tantas alicui fidei in CHRISTUM effingere execrationes, deinde an idem deceat, postremo an expediat, & videbit, quod omnia, quæ loquitur populus iste, conjuratio & blasphemia sit. *Amen dico vobis, quia omnia remittuntur filiis hominum peccata, & blasphemia quibus*

quibus blasphemaverunt: At qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habet remissionem in aeternum, dicitur enim. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum, quāto minus ad blasphemandum.

Non est tutum animæ Catholicæ, cum talibus viris tractare de sanctitate, & cum injustis de justitia, hi enim desperantes, semetipsos tradiderunt impudicitiae, & immunditiae, propterea nec opere quidem, nec verbis, decorum servare possunt. Et cum tibi Catholice Lector, multa facinora, scelera, ex tam immanissimis blasphemis, authorum religionis Evangelicæ pateant, fac tibi pro veritate, quæ supra omnia vincit, talem Syllogismum.

Illa religio, quæ horrendis blasphemis citra pudorem, CHRISTUM JESUM veræ fidei authorem lacerat, est abominanda.

Sed religio Lutherana, cum cæteris Evangelicorum, horrendis blasphemis, citra pudorem, CHRISTUM JESUM veræ fidei authorem lacerat.

Ergo religio Lutherana est abominanda.

Major adeo est manifesta ut probatione non indigeat. Minor & ipsis Wittebergensibus, si non lippis oculis legunt, ex supra dictis patenter est clara.

Hanc primæ putavi, præstituere distinctioni metam, & ea quæ retuli compendio dicere: Scio enim, & non in multitudine esse Dominum, & paucis plurima posse bene complecti. Postquam vero Wittebergenses, hæc sui blasphema Megalandri verba, deglutiunt, non deerunt centena propositum nostrum probantia argumenta: sed quid ista obstinatis proficiunt, qui ex commonitione, sicut Nabal deteriores fiunt: illorum intentio, ne dicam pertinacia est, ex irrationali, & inflexibili mentis obstinatione, melioribus nolle cedere.

Vae autem illis, qui contradicunt factori suo.

Isai. 45.

Distinctio Secunda.

AN LUTHERANI ET CÆTERI EVANGELICI CUM APOSTOLIS PER OMNIA CONSENTIANT.



Mendacium, & præclarum vendicant sibi Wittebergenses honorem, dum ex impudentia, vanam sibi comparare conantur auctoritatem. Nam elatis cornibus, hæc de se pronunciant: *Nominamus Sanctos Prophetas & Apostolos, cum quibus per omnia consentimus.* Ego autem moneo, Cavete fratres mendacium, quia omnes, qui amant mendacium, filii sunt Diaboli. Non solum in falsis verbis, sed etiam in simulatis operibus mendacium est: mendacium namque est, se Christianum dicere, & opera CHRISTI non facere: mendacium est, profiteri se habere consensum doctrinæ Apostolicæ, & in re contrarium tenere. An igitur hæc, quæ Wittebergenses asserunt, sint vera, inquiremus.

CAPUT PRIMUM.

In quo fundatur consensus Doctrinæ Apostolicæ.

UT relinquamus consensum, quem se habere gloriantur Wittebergenses cum Prophetis, inquirendum est de consensu eorundem cum Apostolis, & videbimus, quod aliter catuli longe olent, aliter sues.

Consensus ergo doctrinæ Apostolicæ, in hoc vel maxime elucet primo, quia fides ipsorum & Ecclesia fuit una, juxta promissum Christi: *Et erit unus grex, atque unus Pastor,* Johan. 10. Et Apostoli. *Unum corpus, & unus Spiritus, una spes vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus,* Ephes. 4. hinc rectè Gregor. libr. 29. Moralium: *Sancta Ecclesia (inquit) consistit unitate fidelium, sicut corpus unitate membrorum.*

Secundo consensus doctrinae Apostolicae in hoc elucet, quia erat concors, nec sibi invicem contrarius, non blasphemus, neque erant dissentientes, de praecipuis Christianae fidei capitibus, per omnia sibi constantes, non uno tempore docētes unum, post modum aliud. Hanc Concordiam ex speciali prerogativa Spiritus S. habuerunt, utpote *Ministri DEI*, 1. Cor. 3. v. 9. *Dispensatores mysteriorum DEI*, ib. 4. *testes CHRISTI*, Luc. 24. *Spiritu S. donati*, ibid.

Tertio, quia Apostolorum Ecclesia, & quae ipsis successit, fuit sicut una, ita visibilis, praefigurata *per unam visibilem arcam Noe*, Gen. 6. v. 14. 1. Petr. 3. v. 20. *Per civitatem sanctam Jerusalem*, Apocal. 21. v. 2. *Per hortum conclusum*, Cantic. 4. v. 12. *Per unam columbam*, Cantic. 6. v. 8. *Per Vineam*, Psalm. 80. v. 9. Esai. 3. v. 2. *Per Agnum*, Matt. 13. v. 24. *Per Navem*, Luc. 5. v. 3. *Per regnum caelorum*, Matth. 13. *Per sagenam comprehendentem bonos & malos pisces*, Matth. 13. v. 47. similiter etiam fuit uniformis, quoad numerum Sacramentorum, & verbi DEI praedicationem.

CAPUT SECUNDUM.

Lutherani & Evangelici non consentiunt per omnia cum Apostolis.

Probatur primo:

Consensus Apostolorum innititur, unitati fidei eorundem, simulque fundatur in concordi Doctrina ipsorum, non sibi contraria, non blasphemum, non dissentiente, per omnia sibi constante.

Sed Lutherani, & ceteri Evangelici, nullam habent unitatem fidei, nullam concordem doctrinam, imo sibi invicem contrariam, blasphemam, insummis fidei dogmatibus inter se pugnantem, non sibi constantem, sed mutabilem.

Ergo Lutherani & Evangelici cum Apostolis per omnia non consentiunt.

Major est apertissime in scriptura nota.

Minor probatur: Lutherani & ceteri Evangelici nullam habent unitatem fidei.

Hæc enim si affirmaverint Lutherani, constanter negabunt Calvinistæ, qui itidem se unitatē fidei habere gloriantur: Cujus contrarium Anabaptistæ, contra utrosq; pro aris & focis defendunt.

Sed dato quod hæc unitas fidei sit penes Lutheranos, Nonne id reclamabunt, tot sectæ eorundem, ut Osiandrii, Ubiquetarii, Substantiarii, ceteriq; superius enumerati, qui itidem, licet omnino sint inter se contrarii, singuli tamen unitatem sibi fidei adscribunt. Itaq; quidquid dixerint, & in quamcunq; se verterint partem, non possunt Lutherani evadere quin etiam suorum Sectariorum judicio, sint manifesti & blasphemii hæretici.

Reclamat primo Beza, penes Lutheranos hanc unitatem fidei non posse esse, quia illos Eutychianos, & Nestorianos, in Resp. ad Colloquium Mompelgart. docet, & probat.

Reclamat deinde Lutherus, hanc unitatem non posse esse penes Calvinianos, & Sacramentarios, dum thesi 27. anno 1545. Hæreticos serio censet, & alienos ab Ecclesia DEI, Zuinglianos & Sacramentarios omnes, qui negant CHRISTI corpus & sanguinem, ore carnali sumi in venerabili Sacramento Eucharistiæ. Prodiit deinde liber Germanice, impressus Jenæ anno 1586. sub hoc titulo, Admonitio ex verbo DEI, quod Calvinistæ non sint Christiani, sed tantum Judæi & Machometani baptizati.

Quis igitur sanæ mentis credat, penes istos esse unitatem fidei, quorum omnes testimonio mutuo fuerunt hæretici, Arriani, Eutychiani, Nestoriani, Manichæi, Marcionitæ, ab Ecclesia DEI vere alieni? at nullus Apostolos dixit esse Hæreticos, Nestorianos, Eutychianos, hinc quomodo isti cum illis per omnia consentiant, non videtur.

Lutherani & Evangelici nullam habent concordem doctrinam.

Hoc imprimis apparet de Lutheranorum, Calvinistarum, & Anabaptistarum doctrina, qui ita inter se pugnant, horrendis ver-

bis ac

bis ac scriptis, ut vix ipsi demones acerbioribus convitis, quæquam impetere possent, quam ipsi se mutuo perstringunt. Nec negare possunt, nisi per summam impudentiam, hæc ipsorum dissidia esse, de fundamento religionis: adferam enim hic, pauca illorum testimonia, quæ pudorem illis (si tamen erubescere sciunt) incutient.

Calvinistæ ergo, de Lutheranorum doctrina sic ajunt:

Doctrina Lutheranorum est somnium & delirium noxium, quin etiam Evangelium, Diaboli stercus, quo seipsum cecillat, lib. de Serpente antiquo.

Idem de Luthero: *Lutherus Cerevisarius Papa; Papa stramineus, nepos AntiChristi, Crucifixor & Carnifex Christi, indoctus & crassus rusticus, qui præclaram Evangelij lucem, vel nunquam agnovit, vel ejus continuo sit oblitus; qui verbum DEI improbè tractat, & manifestè dominæ literæ violat, atq; corrumpit. Zuinglius contr. Luther. anno 1527. Anabaptista de Luthero. Quàm certum est DEUM esse DEUM, tam certum est Lutherum Diabolicum esse Doctorem. Campanus de Luthero.*

Lutherani de Calvinistis sic.

Demonstratio est ex sacris literis, Calvinistæ non Christianos, sed baptizatos Judeos, atq; Machometanos esse lib. contr. Sacrament. anno ut supra.

Lutherus de Anabaptistis: *Anabaptista, homines sunt sceleribus, & hæretica maledictione cooperti, quos si deprehendas in pertinacia sua persistere, non est quod admoncas, neq; enim iis aliud debetur, quam ut a Judice civili, & medio tollantur. Lutherus in Postilla domesticâ.*

Hæc igitur Capita Evangelicorum, talibus moti doctrinæ dissensionibus, ex sedibus & civitatibus mutuo, in variis locis se expulerunt, ut omnibus notum est, qui res historicas norunt.

Lutherani inter se quantum ad doctrinam supum & agnum gerunt.

Quia non concordem, sed sibi contrariam doctrinam inter se pugnantem habent. Hæc quantum ad Lutheranos & Calvinistas declarabo.

declarabo. Apud Lutheranos quod uno anno est Verbum DEI, al-
 ludmet paulo post, est verbum Diaboli. Exempli causa, An. 1571.
 in Synodo Drezensi. condemnata fuit Ubiquitas Corporis Christi,
 tanquam renovatio omnium Hæresum, & profanatio omnium ar-
 ticulorum Symboli. At anno 1580. in Synodo Wittebergenſi, est
 denuò pro expresso DEI verbo, & articulo fidei necessario cre-
 dendo, recepta. Si alias doctrinas satis mutabiles, Lutherano-
 rum commemorare vellem, necessarium esset integrum librum per
 se compilare.

Solum Lutherum, quanta fuerit varietas numeri Sacramen-
 torum apud eundem, videamus, An. 1515. cum Catholicis rectè do-
 cuit 7. Anno autem 1520. dum scriberet captivitatem Babilonicam,
 ipsemet captivus, unicum tantum pronuntiavit. Anno vero 1522.
 cum perniciosissimum Catechismum componeret, duo tantum esse
 voluit, tandem in Sacrilega Confessione Augustana an. 1530. quam
 Lutheri nomine obtulit Melanchron, tria proficitur: ita hic refor-
 mator procedebat.

Calvinistæ deinde in libris, Anno 1558. editis, præcipuè An-
 gli, Scoti, & Geneva, docuerunt esse illicitum, monstrosum, contra
 naturam, contra legem DEI & hominum, quod mulieres debeant
 gubernare: at vero sequenti Anno 1559. illi ipsi invenerunt, Sacris
 Scripturis, & legibus humanis, esse satis conforme, ut mulieres non
 solum regant in civilibus, sed etiam sint capita Ecclesiarum, immediate
 sub Deo, in omnibus causis, tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus.
 Deinde, uno anno Liturgia Anglicana est Sacrosancta, & conformis
 praxi, & moribus Apostolorum, post aliquot annos est tota illicita,
 superstitiosa, & Papistica.

Isti sane inter se, verbis & scriptis publicis, tam atrociter &
 pertinaciter ab initio sui Evangelii pugnarunt, ut nullis colloquiis
 privatis vel publicis, nullis conventiculis aut Synodis, unquam po-
 tuerint in cõcordiam & unitatem fidei redigi, imò usq; eo venerunt
 eorum dissidia, ut nulla sit posthac speranda Ecclesiarum concordia,
 (ait Sturmius) nec finem sunt habitura ullum, nisi magnus dies Do-
 mini advenerit, litemq; hanc diremerit. Pugnant ergo & se mutuis
 cõficiant vulneribus, donec veniat iudex controversiarum suarum,
 quem

quem expectant. Quod autem jactitant singulae sectae, Apostolos suam fidem tenuisse, seq; per omnia cum ipsis consentire, id suis dissensionibus nunquam demonstrare poterunt.

Deinde videndum est, quam mutuo inter se pugnent, de ipsis scripturis; ex quibus solis, judicio ipsorum, tota certitudo fidei dogmatum pendet.

Lutherani enim Epistolas Canonicas, ad Hebræos, & Apocalypsin rejiciunt, & multa alia scripturae loca, apocrypha nominant, ut patet ex Centuria 1. Magdeburg. Calvinistae autem fere omnes, ut ipsissimum Verbum Dei admittunt, & nominatim in Confessione Gallica enumerant, rejiciunt tamen nonnullos, sicut veteris, ita & novi testamenti sacros libros, quos vera Ecclesia olim recepit & approbavit.

Nam Calvinus cum urgeretur Genevæ, in publica disputatione de reali praesentia Corporis Christi in Eucharistia, in 6. cap. Joan. respondit: Nullis conjecturis adduci possum, ut credam istud totum & integrum, quod circumfertur, Joannis caput, esse revera ipsius Joannis Apostoli, & potissimum illa verba, quibus toties inculcatur carnis manducatio.

Sane egregium ruium Calvine ingenium, ex quo te postera praedicat aetas. Quia adduci non potuisti, ut crederes illud caput, esse Joannis, ideo non est Joannis? Tolle, Calvine, voluntatem, nec erit discrimen in actu.

Et Zuinglius in Elencho contra Anabaptistas non putat omnia esse Sacrosancta, quae sunt in Epistolis Pauli: Hec est, (inquit) ignorantia vestra, quod putatis cum Paulus istos scriberet Evangeliorum commentarios; aut Epistolas Apostolorum, jam in autoritate fuisse: quasi vero Paulus Epistolis suis jam tum tribuerit, ut quicquid in eis contineretur, Sacrosanctum esset, quod est Apostolis imputare immoderatam arrogantiam.

Censura postmodum Calvinistarum, de doctrina Lutheri est talis, quia ipsam vocant mendacem, commentum à Diabolo suggestum, Satanae excrementum, & Lutheranos ipsos à Satana Spiritu, non Christi moveri clamant.

Lutherani

Lutherani postmodum, ut videre est apud Ulebergium, causa 10. vocant Calvinistas, Atheos incredulos, mendaces, idololatras, larvas Diaboli, capitales hostes filii DEI, Diabolicos & infernales lupos, Doctores à Satana missos, quos obsessos tenet, & per eos tanquam organa sua loquitur.

Spiritus deinde Calvinistarum, (ajunt Lutherani) est spiritus senebrarum, est ater & lubricus Diabolus, est falsus & mendax Spiritus, est versipellis & versutissimus Dæmon, Doctrina eorundem est, & erit, in perpetuum à Diabolo, est nequitia Diaboli corrupta, est sterus & fator Diaboli.

Optimum duellum, dum Surdaster cum Surdastro litigat, & judex est surdior. Ex his Hæresiarcharum dictis apparet morum, ingenii, & doctrinæ, mira pugnantia: aliud noctua, aliud corax sonat. Calvinus in fornace bellator, Lutherus in Culina. O Asinos ad lyram, qui nunc alio, nunc rursus alio, fiunt obyii vultu!

Eadem Minor Propositio probatur: Quod scilicet Lutherani & Evangelici, habeant doctrinam blasphemam, repugnantem doctrinæ Apostolicæ.

Et imprimis, dogmata Lutheranorum, non consonant doctrinæ Apostolicæ. Lutherani enim credunt blasphemantes, CHRISTUM non esse omnipotentem: Corpus ejus esse ab instanti creationis ubiq; in eodem esse duas personas: Ascensionem illius ad cælos, nil aliud esse, quàm disparitionem quandam ex oculis hominum: Duas naturas in eodem manere confusas: Utramq; naturam esse passam, & mortuam, & alia multa passim ab ipsis sine pudore prolata.

Calvinistæ vero pronunciant. Quod DEUS per suam Omnipotentiam, non possit efficere, ut CHRISTI corpus sit simul in pluribus locis: Quod CHRISTUS sit in cælo, ita affixus & inclusus, ut alibi ante diem judicii esse non possit: quod mulier jure divino, sit caput Ecclesiæ, in omnibus causis Ecclesiasticis: Quod CHRISTUS non sit mortuus, pro omnibus hominibus, sed pro solis electis Calvinistis: Quod descensus CHRISTI ad inferos, nihil sit aliud, quàm dati dolores inferni in cruce, vel corpus ejus recondi in sepulchro post

post mortem: Et alia impia ac blasphema dogmata protulerunt, quæ non pauca sunt, nec levia, nec ejusmodi, ut cum doctrina Apostolorum consentiant.

Notent nobis quæso ex scriptis Apostolorum, loca, capita, verba, in quibus se Apostoli tantarum execrationum professores demonstrent: hoc illis tam est impossibile, quam cælum digito tangere: nec enim Apostolica scripta ejusmodi blasphemias continent; nec dogmata inter se ex diametro pugnantia docent: Etenim dogmata Calvinistica, in scripturis Apostolicis contineri, aut ex eis probabiliter posse colligi negant in suis publicis Scriptis ac Concionibus Lutherani. Lutherana vero dogmata, scripturis Apostolicis plane contraria esse, Calvinistæ suis libris & Concionibus, palam mundo testantur. Approbatur mutuum de se testimonium. Si enim tam Lutheranorum, quam Calvinistarum dogmata, in scripturis extarent, mirabile est, cur tot Sancti Patres & Ecclesiæ Doctores, ea advertere non potuerint, nisi dogmata illis plane contraria, cum tamen prædicti Patres fuerint, numero plurimi, natione diversissimi, lingvarum peritissimi, scientia doctissimi, ingenio acutissimi, Spiritu Dei illuminatissimi & in Scripturis Sacris assidue legendis, meditandis, exponendis, diligentissimi.

Quid igitur vobis ô Wittebergenses, ceterique Evangelici prodest, dicere: Vos habere consensum cum Apostolis; & per hoc ostendere vos fabricatores mædaci, & cultores perversorum dogmatum? frustra vobis officium Doctorum usurpatis, qui discretionem fidei Catholicæ ignoratis, neque Sanctuarium Domino, sed ruinam ædificatis, ex quo docere alios regulam, quam ipsi non didicistis, conamini.

CAPUT TERTIUM.

Secundo probatur Evangelicos non consentire per omnia cum Apostolis.

Consensus doctrinæ Apostolicæ fuit manifestus in Ecclesia Visibili, Uniformi, & Catholica.

At qui Evangelici nullam Ecclesiam Visibilem, Uniformem, & Catholicam habent.

Ergo Evangelici non per omnia cum Apostolis consentiunt.

Major probatur quantum ad illud, quod doctrina Apostolorum fuit in Ecclesia visibili: ipsis enim demandatum erat regere Ecclesiam, cum dicitur: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus, posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI, Act. 18.* quomodo illam regere poterant si esset invisibilis.

Deinde Act. 15. *Illi quidem deducti ab Ecclesia, pertransibant Phœnicem.* Et paulo post: *Cum venissent Hierosolimam, suscepti sunt ab Ecclesia.* Et cap. 18. *Ascendit Paulus, & salutavit Ecclesiam.* Baretur etiam Paulus multis in locis se persecutum Ecclesiam DEI, at ista quomodo conveniunt Ecclesiae invisibili? Tandem 1. Tim. 3. dicitur: *Hæc tibi scribo fili Thimothee, ut scias quomodo te oporteat conversari in domo DEI, quæ est Ecclesia DEI vivi, conversari autem in Ecclesia non potuisset, nisi ipsi esset nota, & visibilis.*

Quod vero illa Ecclesia sit uniformis, tunc probabimus quando Evangelici aliquam repugnantiam, doctrinæ Apostolicæ demonstrabunt.

Catholica deinde fuit, quia hoc Symbolum ipsorum attestatur: hoc ipsum nomen Ecclesiae Catholicae, à multis sæculis usurpatum, demonstrat. Unde Cyrillus Catech. 18. dicit: *Si veneris ad aliquam urbem, non petas ubi sit Ecclesia, vel domus DEI, nam etiam Hæretici dicunt se habere domum DEI, & Ecclesiam: sed petas ubi sit Catholica Ecclesia, id enim nomen proprium est hujus Sanctæ Ecclesiae, matris omnium nostrum.*

Minor probatur, Evangelici nullam Ecclesiam visibilem habent.

Hoc in primis transeat ex præsentī negotio, si illam se habere vel non, pro moderno tempore dicunt: illud tamen examinabimus, an à temporibus Apostolorum usque ad Lutheri tempora eam habuerint?

Non

Non negabunt credo, se nullam tunc omnino Ecclesiam visibilem habuisse, unde concedere debent, nullum hominem fuisse, qui more ipsorum Verbum DEI tunc prædicasset, & Sacramenta administrasset, ita quod Synagoga ipsorum, per mille fere & ultra annos, facta est penitus toti mundo invisibilis.

Dato ergo juxta Evangelicos, illorum Ecclesiam tunc esse invisibilem, jam etiam necesse erit tunc publicum ministerium Verbi DEI, quod manet in æternum, & administrationem Sacramentorum non fuisse: Vel si fuit, ostendant quisnam Lutheranus vel Calvinista, tale verbum DEI, illis temporibus usq; ad Lutherum prædicavit: nihil ad hoc quæsitum respondere volunt, sed confugiunt ad suos electos, servatos à DEO, sine Ecclesia visibili: (& ut passim suis Scriptis nugantur) sine verbi DEI prædicatione, vel auditione, sine Sacramentorum administratione, vel susceptione.

Verum nunc videamus, ipsorum labyrinthum, eo quod se in majores conjiciant angustias. dicant nobis quæso, nomen, patriam, qui & unde sint isti electi: sed vere delirantes, somniis suam decorare conantur Ecclesiam. Quis enim est, qui vel parum judicii, & sanæ mentis habet, qui credat fuisse unquam in mundo electos fideles, quia ea quæ corde crediderunt, ore non sunt confessi? contra Aplum, Rom. 10. Qui nullâ Sacramenta, vel ipsi susceperunt, vel aliis administrarunt: qui contra Evangelium, erubuerunt CHRISTUM confiteri: qui fidem suam absq; prædicatione acceperunt: cum tamen fides sit ex auditu, Rom. 10. Ecce quam multa absurda sequuntur ex his electis, servatis à CHRISTO.

Inquiro tamen, quidnam causæ sit, cur in his electis, servatis à CHRISTO, Ecclesia fuit invisibilis? Dicitis forte, illam esse ob persecutionem factam invisibilem, si hæc vera ratio est, sequitur, optime vestram, non esse CHRISTI veram Ecclesiam, hanc enim, nulla unquam persecutio prosternere potest, nec possunt adversus eam portæ inferi prævalere, quam certo certius constat, gravissimas persecutiones passam fuisse, tum ab Ethnicis, tum ab Hæreticis, per multos centenos annos, nec tamen defuit esse visibilis,

Frivola est ista evasio vestra, nihil soliditatis vestrae veritati suppeditabit. Postmodum, inquiramus de restauratione Evangelicorum Ecclesiae quinam illi sint, qui per tot centenos annos, latitans verbum Dei promulgarunt.

Doctores Wittebergenses in fideli sua admonitione fol. 49. dicunt doctrinam Lutheri quoad restaurationem, De i ope, Lutheri opera factam, quae non tempore Apostolorum, sed ante centum annos contigit.

Recte igitur & ad mentem fidelis admonitionis Beza in Iconibus ait: Primos per Europam veros Apostolos fuisse, Joannem Hus, & Lutherum in Germania: Zwinglium & Oecolampadium in Helvetia: Savanarolam in Italia: Farellum & Calvinum in Gallia: Wiccleffum & Bucerum in Anglia: Buchananum in Scotia.

Hos igitur oportet esse, vel CHRISTI Apostolos, qui est DEUS pacis & unitatis, vel Diaboli, qui omnium dissensionum est author: Non potuerunt esse CHRISTI, quia in dogmatibus dissidentes, nam Hus & Lutherus totum contrarium, dogmatibus Farelli & Calvini docuerunt, unde si illorum dogmata sunt vera, istorum falsa esse necesse est, & si illi fuerunt veri Apostoli, isti non.

Non potuerunt itidem esse CHRISTI Apostoli, quia unus alterum damnavit: Zwinglius scribit Lutherum esse Marcione, deteriorem, & Lutherus Zwinglium, aliosque Sacramentarios, haereticos pronunciat. Ipsemet Beza saepissime Lutheranos, Nestorianos, & Eutychianos appellat. O mutationem dexteræ Cerberi, Lutherum ex Marcionista, Eutychiano, Nestoriano, subito factum, verum Apostolum Germaniae, & restauratorem doctrinae Apostolicae!

Deinde, non planè Beza demonstrare potest, Hieronymum Savanarolam fuisse verum Apostolum in Italia, ad restaurationem doctrinae Evangelicae; cum ipsum constet, non per omnia esse Lutheranum, Zwinglianum, vel Calvinistam. Ille enim aperte agnoscit Primatum Rom. Pontificis, in lib. 4. cap. 1. de Triumpho Crucis: Ibidemque docet omnes fideles Christianos, debere in uno Pontifice Romano, velut in suo capite uniri. Haec proculdubio non sunt ad aures Evangelicorum. Deinde in omnibus ferè concionibus, licet

quæ-

quædam sint à Concilio Tridentino prohibita, manifestè affirmat, Invocationem Sanctorum, Purgatorium, Sacrificium, & Orationes pro mortuis; Justificari hominem per bona opera, cum fide conjuncta, CHRISTI corpus esse in Eucharistia realiter: hæc fuit doctrina, quam iste verus in Italia Apostolus docuit verbo & scripto.

Præterea, quomodo Beza Wicleffum nominat alterum Apostolum, quem suo judicio, manifestum hæreticum pronunciat, eo quod illas hæreses docuerit, quas Lutherani & Calvinistæ condemnant? quarum omittis multis, unam & alteram adducimus. 1. Quod DEUS debeat obedire Diabolo. 2. Nullus est dominus Civilis, nullus Prælati, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali. Ista igitur dogmata, si sunt Evangelica, cur moderni illa condemnant? si non, cur Wicleffum inter suos numerant?

Deniq; Hus, nescio qua ratione verus Evangelicorum Apostolus, cum ipsum constet, nunquam cum Lutheranis tenuisse, Corpus CHRISTI esse ubique? neq; cum Calvinistis CHRISTUM non posse per DEI Omnipotentiam alibi esse, quam in cælo ante diem judicii: Quatuor Sacramenta semper admisit: Nec solam fidem, sine operibus justificare sensit.

Necesse est igitur ut Evangelici novi, alios sui Evangelii Apostolos inveniant, eo quod isti, mutuo judicio fuerint Hæretici.

Evangelici nullam Ecclesiam uniformem & Catholicam habent.

Quia ut fusè ostendimus, dogmata ex diametro pugnantia docent, & hoc in summis fidei articulis: In numero Sacramentorum non conveniunt, cum modo duo, modo tria, modo quatuor constituent: Nunquam eundem Spiritum suæ veritatis habent, hinc Lutherus in Colloquio Marputgeni, An. 1529. objecit Sacramentariis: *Vos alium Spiritum habetis, quam nos.* Et tamen isti omnes, unam Ecclesiam constituere, idq; de se affirmare, non verentur: sed non mirum est, istos Sacramentarios in unam Ecclesiam, Lutheranos & Calvinistas aggregare, & concludere; cum in uno &

eodem regno Dei, Christianos & gentiles, fideles & infideles, col-
locare audeant, etiam si fidem nunquam habuerint.

Zuinglius enim in sua Confessione ad Regem Gallie sic ait:
*In vita aeterna, visurus es Herculem, Theseum, Socratem, Aristidem,
Antigonum, Numam, Camillum, Catones, Scipiones.*

Erasmus deinde in Colloquio, *Vix mihi (inquit) tempero, quin
dicam, Sancte Socrates, ora pro nobis. Sed melius Lutherus, in Collo-
quiis mensalibus cap. 26. Sancte Sathan, ora pro me. & cap. 49.
In regno caelorum futuros, canes, oves, boves, pisces, & alia hujusmo-
di animalia, cum quibus ibi animi causa, lufuri sumus.*

Hic quisquis videat, nihil esse tam ineptum, ad quod non in-
citaverit Lutherum insania, sic ille sibi ubiq; solet morbum addere,
ut facilius in aeternum exitium conjici possit.

Ad extremum Evangelici non habent Ecclesiam Catholicam.
Nam istam vocem (Catholicam) expulit Lutherus, ex Symbolo Ger-
manico: est enim fides in oculis Evangelicorum. Enimvero cer-
tum est, Catholicum esse id, quod semper ubiq; & ab omnibus
creditum est, Evangelium autem istorum Novatorum, quod nuper
in Luthero monacho apostata, & Calvino Sodomita Stygmatico
natum est, nec ubiq; nec ab omnibus, nec alibi à quoquam ante
Lutherum auditum est, igitur illud non Catholicum, sed Diaboli-
cum esse, necesse est.

Nunc denuo diligens Lector attendat, quam callidè Witte-
bergenses, in fideli sua admonitione fol. 49. dicant: *Non aliam
tenemus fidem, quam eam qua ab Apostolis est predicata: unde illam se-
cundum singulos articulos, ex scriptis Apostolorum, non aliunde proba-
tam damus.* Hæc Witteb. Per Deum obsecramus non sitis hypo-
critæ, in conspectu hominum: illud ne creditis solum, quod Apo-
stoli vobis reliquerunt in suis monumentis? Ubi inter vos, sicut in-
ter Apostolos unitas fidei, ubi concors, & per omnia sibi constans
doctrina? ubi tantæ in monumentis Apostolorum, sicut in scriptis
vestris blasphemiae? ubi nomen Catholicae, uniformis, & visibilis
Ecclesiae? ubi aliquis Apostolorum docuit, gentiles, canes, boves,
fures esse in regno caelorum? Hoc vester Megalander, restaura-
tor si-

cor fidei, & doctrinae Apostolicae docuit, ille nomen Catholicae Ecclesiae erasit, illius unitatem rupit, blasphemis ac dissidentibus dogmatibus polluit.

Quid igitur vos videri vultis ab hominibus? quid de vestris, & illius moribus judicatis? omnes vos Scripturam ignem alienum imponitis, hoc est, sensum & intelligentiam alienam à Deo, & veritati contrariam, introducentes incensum Domino non suave, sed execrabile: propterea contra vos fit talis Syllogismus.

Quaecumque religio, non innititur unitati fidei Apostolorum, & sibi ex diametro in dogmatibus & blasphemis contrariatur, illa cum Apostolis per omnia non consentit.

Sed religio Lutherana cum ceteris Evangelicorum, non innititur unitati fidei Apostolorum, & sibi ex diametro in dogmatibus & blasphemis contrariatur.

Ergo religio Lutherana cum ceteris Evangelicorum, per omnia non consentit cum Apostolis.

Major est evidentissima. Minor ex praedictis facile deducitur.

Hunc etiam finem secundae distinctioni imposui, in qua sicut in aliis brevis esse laboravi. Et si Wittebergeneses plus attulerint, nihil tamen poterunt adversus veritatem. Dolco insensatos Galathas, qui nescio per quos fascinati

sunt, non obedire veritati: attamen

veritas nunquam

later.



Distinctio Tertia.

AN PATRES ORTHODOXAM FIDEM
PROFICIENTES RELIGIONI
LUTHERANÆ FUERINT
ADDICTI.

Nesciunt Wittebergenſes, Ciceronianum de officiis dictum: deſorme eſt de ſeiſpo prædicare, falſa præſertim. Convenientius eſſet, ſi ipſos hac in parte, alieni laudarent, extranei & non labia propria. Hæc enim ſunt, quæ illi de ſe per eam, quæ non bona eſt, gloriationem prædicant dum dicunt:

Nominamus primos Patres, Orthodoxam fidem proſtentes, quorum nonnulli fuere Monachi, &c. Et paulo poſt: Qui fundamentum fidei, de gratuita juſtificatione, de ſolo DEO invocando, de uno fidelium Capite CHRISTO, re illibatum tenuerunt, atq; ſic, non hodierna Romana, ſed antiqua Apoſtolica, quæ itidem noſtra eſt, religioni fuerunt addiſti.

Calidum herclè audivi eſſe optimum mendacium, ſatis calidum Wittebergenſes proferunt, & multo plura quam Cantores mentiuntur, qui ad gratiam loquuntur, & auribus blandiuntur: Patres (inquiunt) Orthodoxam fidem proſtentes, fuerunt nobis addiſti. Vereor Wittebergenſes ne Œſopicam cornicem agatis, aliena ſibi uſurpantes, aliorumq; bonis ſe venditantes. Movebit in brevi hæc cornicula riſum, dum furtivis nudata erit coloribus: facile eſt vobis video, virtutis & famæ vendicare inſignia, qui tamen vera virtute caretis, nam voluiſtis crepitum edere, & vos tuſſim tantum: Patres Orthodoxam fidem proſtentes petitis, & vos quàm alieni ab hac ſimulata veritate ſitis, patebit.

Illud tamen penſandum eſt, quàm plurimum Wittebergenſes, & ſeiſpos ſeducant, & alios fraude decipere conentur, quia blando,

blando; magno, & honesto nomine colorantes & fucantes errores suos, Patres in suæ religionis tutelam provocant, & quinam illi sint, statua taciturniores, ne tantillum quidem dicunt. Hic jam erant propalandi, & isti patroni Wittebergenfes toti orbi promulgandi, ut & illorum patrocinium pro vobis, & vera doctrina ex æquali ratione pensitaretur.

Sane enim congruum esset, scire qui nam sit Patrum aut Doctorum Ecclesiæ, Lutheranus vel Calvinista: si enim res agitur de Augustino, istum Joannes Pappus Lutheranus vult esse Lutheranum. Eundem Witakerus cont. Campian. pag. 114. vult esse Calvinistam. Postmodum nominandus erat aliquis, ex Patribus Orthodoxæ fidei, qui sunt Clemens, Justinus, Ireneus, Cyprianus, Athanasius, Basilus, Gregorius Nazianzenus, Epiphanius, Hieronymus, Gregorius Magnus, Chrysostomus, Cyrillus, vel quivis alius ex illis, qui intra primos sexcentos annos à CHRISTO nato fuerunt.

Verum Wittebergenfes, ducti forte præmi silentio, quod sciunt nescire se ostendunt, quia illorum patrum nomina proferre erubescunt.

Addunt nihilominus Wittebergenfes, quorum nonnulli fuere Monachi, religioni nostræ fuerunt addicti.

Ex ore tuo te judicabo, Academia nequam: Scimus Patres Orthodoxam fidem profitentes, ut Hieronymum, Athanasium, Gregorium, Augustinum, Bernardum, & alios innumeros fuisse Monachos, sed Lutheranae fidei fuisse addictos, quomodo Wittebergenfes persuadebunt? laqueum certe quem parastis pedibus nostris, ipsi incidistis in eum.

CAPUT PRIMUM.

Patres Orthodoxam fidem profitentes non fuerunt religioni Lutheranae addicti.

Hæc veritas tali argumento demonstratur I.

Si Patres Orthodoxam fidem profitentes, religioni Lutheranae, & cæterorum Evangelicorum fuissent addicti, profecto capita, & membra earundem

religionum, eos ut Patres suos in honore haberēt, membra suæ Ecclesiæ eos agnoscerent, dogmata sua eorum testimoniis confirmarent.

At qui Lutherani, & cæteri Evangelici, tam in capite, quam in suis membris, Patres Orthodoxam fidem profitentes, rejiciunt, ut imperitos & superstitiosos, maledictis, convitiis, opprobriis onerant, insuper ad infernum, ut Hæreticos, idolatras, & damnatos homines, relegant.

Ergo Patres Orthodoxam fidem profitentes, religioni Lutheranae, & cæteris Evangelicorum, non fuerunt addicti.

Majorem decentia approbat.

Minorem ex dictis Lutheranorum, & aliorum Evangelicorum demonstrabimus.

In primis autem ostendendum est, quàm cæcutiens, & imperitissimus, totaq; vita errans ille, quasi verus Patriarcha & Apostolus Germaniæ Lutherus, convitiis Sanctos Patres oneravit, dicit enim Tomo 2. Witteberg. An. 1551. libr. de Servo arbitrio, pag. 434. *Patres tot sæculorum planè cæcutisse, imperitissimos fuisse Sacrarum litterarum, tota vita errasse, nisi ante mortem reducti fuerint: neque Sanctos fuisse, neq; ad Ecclesiam pertinere.*

Egregiè satis Luthere. Quid tam acutum cernis in Sanctorum cordibus, qui tua mala pervides oculis inunctis? Scito tibi hanc nocivam esse temeritatem, tu enim debuisti judicare de Patrum errore, si non haberes in te ipso, quod te condemnaret, ait enim Ambrosius: *Judicet ille, qui non agit eadem, quæ in alio putaverit esse puniendæ, ne cum de alio judicat, in seipsum sententiam ferat. Judicet ille, qui ad probandum, nullo odio, nulla levitate ducitur.* Te autem Luthere, quid traxit ad tale de Patribus elogium? non aliud certe, nisi quia vita illorum, moresvè, à tua oratione longe dissident, nihil ad tuum versum, nihil ad tuam fidem, faciunt. An voluisti tuas cum leonibus cōgregare vulpeculas? an optasti ut tua Noctua,

ita lo-

ita sonet, sicut illorum cornix? scito quod hac in re ex arena funiculum nectis, frustra; tu, vel potius tui Wittebergenfes efficere conantur, ut Patres Orthodoxæ fidei sint vestri, quomodo enim, quos nondum Lutherus desit conviciari?

Dicit idem Lutherus contra Erasmum de Servo arbitrio: *Deponite quidquid armatura suppedinabunt Orthodoxi veteres, Theologorum Scholæ auctoritas, Conciliorum & Pontificum consensus, tot sæculorum ac totius populi Christiani. Nihil recipimus, nisi Scripturas, sed sic, ut penes nos solos, sit certa auctoritas interpretandi: Quod nos interpretamur, hoc sensu Spiritus Sanctus, quod adferunt alij, quamvis magni, quamvis multi, à Spiritu Satanae, & aliena mente, profectum est.*

O Sycophanta & improbe Calumniator: Omnes humanæ res, natura consenscunt, & ad finem temporis veniunt, præter solam tuam impudentiam. Cur tam turpiter, parumque pudicè loqui præsumis? Orthodoxorum & Theologorum auctoritatem, Conciliorumque & Pontificum consensum rejicis, Scripturam recipis, per te solum interpretatam. Quis est qui tuam mendacem, fallacem, recipiet interpretationem? Unde tibi illa præsumptio. *Ego sum præco D & I, & Evangelista, doctrinam meam Angelorum non volo subire judicium, nedum hominum: Nam cum certus sim, eam de cælo esse delapsam, ipse ego judex esse volo hominum & Angelorum, lib. contr. Clerum 1522.* O superba præsumptio, præsumptuosa superbia, quæ & Angelos sibi voluit adæquare! Nihil Luthere ex agro dicis, nihil humile, nihil expolitum: Homo cum sis Bombilius, & inutilis, videris tibi esse Jovis sandalium; at nescis superbe, quia dies Domini super te arrogantem, & humiliaberis.

Ulterius Lutherus, quia est immodestè garrulus, non desinit farcire Centones, sic enim Aurifaber ait, in Colloquiis mensalibus Lutheri, fol. 377. *Si quis mihi donaret decem millia aureorum (sic agebat Lutherus) nollem in eo periculo, atque extremo salutis discrimine, in quo Hieronymus constitutus est, versari.*

Idem de eodem: *Hieronymus legi potest historia causa, nam de vera fide in Christum, de recta & sana religione, in libris ejus ne verbum quidem ullum exeat. Tertullianus valde superstitiosus est, fuit*

inter Doctores Ecclesia unus Carolstadius, Origenem diris devoti. In toto Origene, non est unicum verbum de CHRISTO: Chrysostomum nihili facio, nihil nisi futile & loquax Rhetorculus est: Basilii nullius plantæ pretii est, nihil nisi merus Monachus est: non pili quidem eum facio. Cyprianus Martyr infirmus Theologus est. Tertulliani & Cypriani tempore, capit degenerare Ecclesia, imo vero Apostolorum ætate degeneravit. Apologia Philippi, præstat & antecellit longe Ecclesia Doctores, etiam ipsum Augustinum superat.

Satis ampla Luthere, lingvæ tuæ deambulatio, & video quod tibi sit natura insitum, ut non multa solum, sed & mala loquaris, Vnde & pedes nunquam extra lutum habes. Non mirum, quod Carolstadium, & Philippum præconiis efferas, qualis enim es herus, tales famulos habes, idem jugum tecum trahunt, propterea fur fures, & lupos lupus, cognoscis. Apologia Philippi magis tibi præstat, ita sane, quia balbus balbum rectius cognoscit, in eodem ludo doctus, sicut tu, propterea malus cum malo colliquefcis voluptate. Augustinum & cæteros contemnis, rectè: Non enim sunt ex istis, ex quibus tu heroibus, nam quæ ex diametro opponuntur, diametro distant.

Idem Lutherus, de iisdem Doctoribus, ubi supra fol, 478. ait: *Hieronymus non est dignus, qui inter Doctores Ecclesia nominetur, fuit enim Hæreticus: Credo tamen, propter fidem in CHRISTUM, eum salutem esse adeptum, homo fuit nullius, neg, judicij, neg, diligentia, multa ineptè scripsit: De CHRISTO in ejus Scriptis nulla mentio. Nemo est inter omnes Ecclesia Doctores, cui aque insensus sum, atque Hieronymo.*

Idem Tomo 5, cap. 3. ad Galath. de Hieronymo ait: *Quod ab Origene deceptus, in Paulo nihil prorsus intellexerit, sed iustitiam solius fidei, depravaverit, atque hunc unum ejus errorem fuisse talem, ut solus satis potens fuerit, ad vastandum Evangelium, quo, nisi singularis gratia intercesserit, infernum potius, quàm cælum Hieronymus meruerit.*

Periculosum est tibi Luthere, tanta de Hieronymo affirmare: nonne scis quod, qui judicat, Dominus est; tu vero quia præsumptuosus es primus respondes, non vocatus accedis, non missus te intromit.

intrōmittis, reordinas ordinata, rescis facta, judicas judicantes, præjudicas judicaturis. Abi igitur ad corvos, qui vivus vidensque & quidem peculiari naufragio peris.

Idem Lutherus ubi supr. f. 175. de D. Augustino: *Intuemini quantæ sint latebræ, quantiq; errores, in veterum Patrum libris de fide. Augustinus de fide nihil peculiare, nec singulare tradit, nisi cum illi negotium est cum Pelagianis, isti enim Augustinum dormientem, quasi & somno excitarunt.* Item folio 477. *Augustinus sane egregius, & præclarus, ac pius Ecclesiæ Doctor extitit, is si hodie superesset, a nostris partibus staret, sed Hieronymus, modo si viveret: nos penitus & absolute condemnaret.*

Ecce ex lupi ore, calidum & frigidum, modo Augustinum, rejicit, modo approbat, modo Justitiarium regni Papistici appellat, modo eundem pro suis partibus stare dicit, qui tamen iudicio Lutheri, nec Justitiam fidei, nec Paulum intellexit, ita enim dicere solitum, scribit Aurifaber Lutherum: *Ab eo tempore, quo DE I beneficiū Paulum intelligere capi, non potui quēquam Veterum magnificere.* Initio quidem legebam Augustinum, sed simul, ac mihi aditus ad Paulum patuit, ut intelligerem quæ esset justitia fidei, volebam illum valere. Apparet Luthere, quod hæc tua lectio Pauli, attulerit tibi canitiem, malitiam autem non abstulerit, sicut enim lignum tortum nunquam rectum, ita tuum distortum ingenium nunquam ad bonam frugem, etiam lectione Pauli, traduci potuit; eo quod non permiseris pellem Æthiopicam albescere. Quapropter in lectione Pauli, scias tuum ingenium, non esse sine mixtura dementiæ magnum.

Item Lutherus ubi supra fol. 474. *Ambrosius aliquo saltem loco est habendus, nam attingit nonnunquam præcipuum Religionis articulum, de remissione peccatorum, ex gratia ob CHRisti meritum.*

Audiat deinde Tom. 2. idem Lutherus Germanico fol. 443. & 449. qualem virgulam Censoriam de omnibus Doctoribus statuatur, dum dicit: *Origenes, Hieronymus, & propemodum omnes Doctores, excepto Augustino, non intellexerunt, quid Spiritus & litera sit. In libris ipsorum magnæ tenebræ sunt de fide, Gregorij Conciones ne coram*

siu quidem valent, diabolus eum in Dialogo suo crasse decipit.

In Postilla vero in die Exaltationis S. Crucis inquit: *Si adhuc Vigilanti monumenta superessent, sicut Hieronymi etiam nunc extant, multo magis Christiane & pie in isto argumento (intelligit de reliquiis Sanctorum) fuisset versatus Vigilantius, quam Hieronymus.*

Fertur quod Poëte & Pictores sint liberi, liberior tua Luther lingua, Cicada volacior, nunc grandem asinum tondes, nunc eundem pellibus ornas, nunc delphinum cauda ligas, nunc solvis, nunc Ambrosium aliquo loco habendum censeres, nunc omnes Doctores, inter quos est Ambrosius, contemnis: Apparet te esse virum duodecim artium, Callidum, Versutum, Versipellem, Vastum. Ecce quatuor: ac tandem variis instructum dolis, hic cetera tuæ continentur artes.

Ægyptii dicuntur esse innectendis machinis admirabiles, at Lutherus mirabilior, qui unica astutia, plus efficere conatur, quam multi diversis technis. Debuisti itaq; Luthere de Doctoribus dicere. Est, est, non, non, & non talem animi levitatem ostendere. Maximum etenim malæ mentis indicium est, fluctuatio; signumq; vacillantis animi, non habentis vigorem suum. Quod vero tibi magis Vigilantius, quam Hieronymus placeat, non mirum.

Plant. Me-
rach.

*Namq; ego hominem homini, similiorem nunquam vidi alterum
Nec, aqua aquæ, nec lac est lacti, crede mihi usq; similis,
Quam hic tui est, tuq; huius.*

Ille enim fuit ejusdem musæ, cujus tu æmulus, propterea rustice cum rustico sapias, iste vero extra tuam semper est cationem.

Postmodum videndum est, quid discipuli ejusdem Lutheri, de Patribus Orthodoxam fidem profitentibus sentiant.

Et inprimis David Chytreus, de studio Theologico recte inchoando, sic ait: *Ad gratiam CHRISTI, & justitiam fidei recte intelligendam, longè plus conducit unius Lutheri in Epistolam ad Galat. commentarius, quam omnia Hieronymi, Basilij, Cyrilli, Origenis, Nazian-*
zeni,

zeni, Epiphani, Hilarij, & plerorumq; Patrum opera, in unum collata.

Pomeranus in Jonam: *Quidam ex illis Doctoribus, cum multis & ingentia volumina scribant, ne solliciti quidem sunt, ut Jesum CHRISTUM per Evangelium suum verè doceant.*

Erasinus Albertus adversus Carolstadium, scribit: Neutiquam se dubitare D. Augustinum si viveret, Doctoris Martini discipulum, sine ullo pudore se professurum. Et paulò superius ait: *Pro comperto habeo, quod qui in Doctoris Martini Schola edocti non sunt, nihil de DEO sciunt, quamvis multa predicent, idq; in uno Calvino pater.*

Magdeburgenses cap. 10. Cent 4. Stipulis & Nevis adnuntiant, quod statuit Hieronymus fidem cum operibus conjungendam, quod diversitatem pramiorum & meritum in regno coelorum constituit, quod poenitentiam vocaverit secundam post naufragium tabulam, quod Ecclesiam scripserit fundatam esse in Petro, quod Purgatorium agnoscat, quod nimium tucatur reliquiarum venerationem.

Philippus in 14. ad Rom. de Gregorio impudenter dicit, Quod Ethnico more ornaverit statuas, magnæ impietatis confirmaverit, initia; in alienas Ecclesias sibi imperium sumpsit.

Et Vergerius dialogo 1. contr. Hosium, de eodem Gregorio ait: quod Purgatorium, Intercessionem Sanctorum Mortuorum, & Monachatum, ineptissimis & insulissimis, imo Diabolicis fabulis defendit.

Verè vobis Megalandristæ sunt incommoda & summè displicent hæ sententiæ Papisticæ, quæ Doctoribus illius antiquissimæ sæculi valde placuerunt? Videtis, quàm bonus & perantiquus sit Monachatus, quem tum Sancti & docti Patres defenderunt.

Quod vero inferunt Wittebergenses de Patribus Orthodoxant fidem profitentibus, *Quorum (inquiunt) nonnulli fuerunt Monachi, quæ religioni nostræ erant addicti.*

Quæso Wittebergenses, quis unquam vidit in vestra Synagoga Monachos, nisi forte Apostatas, & excrementa Monachorum,

rum, quales fuerunt Lutherus, Bucerus, Martyr, Marloratus, & cæteri plures?

Hanc habemus Lutheri, suorumq; discipulorum de Sanctis Patribus censuram, de quorum procaci ore fluxerunt tam pessimæ voces.

Mirabile tamen est, quomodo Wittebergeneses summo cum tumore animi, Patres Sanctos suæ religioni addictos proferant, quos tamen, nec exiguo oboli pretio, condiscipuli eorundem cum Magistro æstimarunt; imo eosdem, ut ex prædictis constat, falsis probris, calumniis, convitiis, imposturis, onerarunt; ita ut rectius dixerint, Sanctos Patres non addictos esse religioni ipsorum, sed potius infensissimos, ac in sua integritate vitæ & doctrinæ multum dissimiles, eo quod nihil habeant, Viri Sancti, doctissimi, cum peruersissimis & imperitis Hæreticis,

Nolite igitur simulatores, & callidi, provocare iram DEI: nolite Sanctos Patres in patrocinium assumere: nescio enim quomodo dicatis, quod vobis sint addicti, quorum animus non est cum ipsis: *Multi homines misericordes vocantur, virum autem fidelem quis inveniet?* Proverb. 20. Multi inter vos boves stimulare sciunt, & tamen pauci aratores reperiuntur: Vos estis qui iustificatis vos coram hominibus, (*quia Patres Sancti vobis addicti*) DEUS autem novit corda vestra, Luc. 16. *Vae vobis Scribae & Pharisei, hypocritæ, quia similes estis sepulchris dealbatis, quæ a foris patent hominibus speciosa, intus vero plena ossibus mortuorum & omni spurcitia:* sic & vos a foris quidem hominibus apparetis. Iusti (Patres inquit nostræ religioni addicti) intus autem pleni estis hypocrisi, & iniquitate, Matth. 23. Hactenus de Lutheranis.

Nunc videndum est, an Calvinistæ melius de Sanctis Patribus sentiant, at vereor ne eundem calceum suis pedibus inducant, novit Simon Simonem, optime scit Calvinus Cretisare cum Cretensi Luthero, sicut ille malus tripes, sic ipse nequam ipes. Rectè dixit Ovidius, 2. Pont. 5.

*Scilicet ingeniis aliqua est concordia junctis
Et servat studij, fœdera quisq; sui
Rusticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorem dubie navita puppis amat.*

Et Calvinus eodem ovo quo Lutherus prognatus, in unum Aemina aspidis & Viperæ coeunt, eademq; formula, ab uno diagrammate de Sanctis Patribus, ut stultus, stultè, & stulta loquitur, Calvinus ipse in Epistola ad Regem Galliae Institutionibus suis præfixa ait: *Calumniose nobis Patres opponunt, ac sic eos haberent sua impietatis suffragatores, quorum autoritate si dirimendum certamen esset, melior victorie pars (ut modestissime etiam loquar) ad nos inclinaret.*

Prætermitto brevitatis causa, quæ Calvinus passim in suis Institutionibus libr. 2. 3. habet. Ubi veterum Patrum, tam Græcorum, quam Latinorum sententiam Catholicam, de libero arbitrio rejicit: eorum Sententias falsissimas esse asserit, omnium Patrum, & ipsius Augustini sententiam rejicit de concupiscentia, & contra omnes Patres, ait Filium Dei Patri esse subiectum, etiam ratione Deitatis: Et libr. 4. accusat veteres, quod subinde immodicè laudarunt jejunium, & hoc modo superstitionis quædam semina jecerunt. Errorèm Patribus inscribit, eo quod sentirent, Baptismum ita esse ad salutem necessarium, ut sine eo homines non possint salvari: ipse vero pro sua libertate Evangelica, aperit infantibus regnum coelorum, absq; ullo baptismo, & ait: Hoc dogma antiquorum Patrum, magnum damnum in Ecclesiam Dei invexisse, quasi vero Calvinus rectius, quam vetus Ecclesia veritatem ipsam intellexerit.

Eadem infania laborantes Puritani, Calvinistæ in Anglia, & extra, Patrum testimonia ac consensum velut paleas, & putidas nazarias audacissime rejiciunt.

Beza in Epistola ad Condeum Principem, Anno 1565. præfixa novo testamento, toto conatu probat, Patres esse contemnendos, propter suas insulsissimas rationes, quarum hæc etiam est, quia (inquit) *temporibus Augustini, & Hieronymi, Sancti fuerunt invocati, Purgatorium post mortem agnoscebatur, pro mortuis fuit oratum, Monachi & Sacerdotes cælibes vixerunt, Quos (inquit) pudendos errores, aperte defendit Hieronymus.*

Quare igitur aliquis ex vestris non se opposuit his Patrum erroribus? Apparet nullum tunc fuisse in mundo Lutheranum, nullum Calvinistam, nam si fuissent, utique plenis buccis, & spiritu audaci se, ut nunc faciunt Witebergenses, istis pudendis erroribus, opposuissent: Si vero istos pudendos errores docuerunt Hieronymus, & Augustinus, cur tamen dicit Witakerus in hæc verba: *Augustinus, quantum quantum est, in maximis precipuisq; causis noster est, hoc est, Calvinista est.*

Hieronymum autem, Calvinista in scuto fidei, Dialog. 6. 7. & 8. dicunt, hominem inconstantem, furiosum, rabidum, mente captum, sibiq; repugnantem, Sacra Scripturae eversores, hominem impium, falsum Christianum, Idololatriæ doctorem, non sanctum, sed æquè damnatum, ac diabolum.

Ab istis certe didicerunt fratres, & filii ipsorum Arriani, Tritheistæ, Samosatenses, qui affirmarunt Athanasium, fuisse Sathanasium, Nicænos Patres fuisse cæcos, Sophistas, Ministros bestiarum, Mancipia Antichristi, ejusq; præstigiis fascinosos.

Hæc est Calvinistarum, in mentiendo impudentia, & mira in scribendo inconstantia. Nam Religionem Romanam, ita dicunt esse novam, ac recentem, ut ex omnibus Patribus, qui primis sexcentis annis post CHRISTUM vixerunt, nullus sit, qui ei vel una voce suffragatus sit: alibi vero seipsos hujus impudētissimi mendacii redarguentes, clare scribunt religionem Pontificiam, consuetam esse ex erroribus Patrum, & Patres si nunc viverent, istos suos errores revocatuos.

CAPUT SECUNDUM.

Patres Orthodoxam fidem profitentes non fuisse religioni Lutherana addictos.

Demonstratur secundo tali argumento.

Quæcunq; religio Sanctos Patres, dicit fuisse mancipia Antichristi, Idololatrias, damnatos, non fuisse.

fuisse veræ Ecclesiæ vera membra, nec omnes veros, aut puros Evangelicos, eidem religioni Patres non sunt addicti.

Sed religio Lutherana, dicit Sanctos Patres esse mancipia Antichristi, Idololatræ, ob cultum ac Invocationem Sanctorum, & reliquiarum venerationem, damnatos, non fuisse veræ Ecclesiæ vera membra, nec omnes veros, aut puros Evangelicos, propter non sinceram prædicationem verbi DEI, & illegitimam administrationem Sacramentorum.

Ergo huic religioni Sancti Patres non fuerunt addicti.

Major est evidens ex eo, quod inconueniens sit, virtutem improbitati vel è conuerso esse affectam. Unde impossibile est aliquam religionem vendicare sibi regnum virtutum, nisi prius excuset regnum vitiorum: est enim virtus semper onerosa vitio.

Minorem plenius buccis, passim in suis Scriptis, docent esse veram Lutherani, quorum iudicio, Patres dicuntur esse mancipia Anti-Christi, Idololatræ, damnati, non vera veræ Ecclesiæ membra, non puri Evangelici, propter hos ut ajunt errores, Nimirum propter Primatum Romani Pontificis, Sacrificium missæ, pro vivis & defunctis, Communionem Laicorum sub una tantum specie, realem præsentiam Corporis & Sangvinis CHRISTI in Eucharistia, Transubstantiationem panis & vini, in Corpus & Sangvinem Christi, Cultum & Invocationem Sanctorum, Orationem pro mortuis in Purgatorio, usum imaginum Sanctorum in templis, Justificationem per iusticiam inhaerentem, non per imputativam, Justificationem per fidem & bona opera, & non per solam fidem.

Propter quos, ut ipsi dicunt errores, si fuerunt Papistæ, ad quid in patrocinium suæ religionis ipsos provocant, cum non fuerint Lutherani, nec Calvinistæ? Et si iudicio Lutheranorum, admitte-

re testi-

re, testimonia Augustini, & aliorum Patrum, nihil aliud est, quam ad omnia dogmata Papistica fenestram aperire, quis erit, & ex quibus Patribus, Monachis vel Doctoribus, Wittebergenſi religioni additus, quia jactitant aliquos fuiſſe Monachos, quibus tamen ſicut Luthero Monachatus, ſummè diſplicuit?

Non tali modo, noſtri tractant SS. Patres, quin potius eos honore afficiunt, reverenter de illis loquuntur, in cœlo illos eſſe credunt, & in gloria cœleſti conſtitutos, religioſè colunt & invocant. Quare hoc? quia non ſolum ex propriis ipſorum Scriptis, ſed etiam adverſariorum Confeſſionibus, agnoſcunt eos fuiſſe Catholicos: fidem docuiſſe Catholicam: mortuos eſſe in fide Catholica, nec ob aliam ullam cauſam, ſic contemptos eſſe ab Evangelicis, damnatos, quàm ob fidem Catholicam.

Ex hac igitur ſic probata propoſitione minori, aliud ad idem necimus argumentum.

Illius religionis Patres Sancti non ſunt fautores, cujus membra eoſdem Sanctos Patres, homines errantes eſſe, circa ipſius fidei dogmata, affirmant.

Sed Lutherani, Patres Sanctos errare, circa fidei dogmata affirmant.

Ergo Patres non ſunt Lutheranæ religionis fautores.

Major eſt manifeſta, qui enim virtuti favent, ut fecerunt S. Patres, vitiorum fautoribus favere minime poſſunt.

Minor probatur, maximè autoritate Doctorum Wittebergenſium, qui infideli ſua admonitione fatentur SS. Patres ſapius in dogmatibus fidei erraſſe.

Soli igitur Wittebergenſes, tantæ ſunt apud Deum gratiæ, quod nunquam ſicut Angeli errent: Et non audiunt, quid Beza ad Colloquium Mompelgartenſe de Lutricolis dixerit, affirmando ipſos non paucos, nec leves mundo attuliſſe errores, in quo ſunt maxime

maxime deplorati, qui sese errare sciunt, & tamen errorem dediscere nolunt, aliosq; pervertere contendunt.

Asserunt deinde Wittebergenſes SS. Patres inter se dissentire. Quasi vero Wittebergenſes ſecum consentiant, imo nullus est inter illorum aſſeclas, qui non ſecum ipſe, & ab aliis, in rebus fidei gravissimis diſſentiat. Iſta res est luce clarior in numero Sacramentorum, & in aliis diſcrepantibus erroribus, de quibus conſcientia ipſorum millies teſtificatur.

Patres autem nunquam, in aliquo fidei articulo pertinaciter diſſenſerunt ad invicem, ſed ſi fuit aliqua inter ipſos diſſenſio, ea vel non fuit de rebus fidei, vel certe absq; pertinacia fuit, parati enim ſemper erant iudicium ſuum ſubmittere Eccleſiæ definitioni. At vos Wittebergenſes, nullius præterquam proprium curatis iudicium. Nimia hæc eſt procacitas veſtra, & grande vitium animi laſcivientis, quaſi vero ſitis ab omni errore Privilegiati. Nontunt vos intus & in cute.

Aſſerunt poſtmodum Sanctorum Patrum Scripturam, eſſe obſcuram, & ambiguan, & ſic corruptam, forte non ob aliam rationem, niſi quia temporibus corruptis vixerunt. At ego dico, veſtram doctrinam eſſe corruptiorem, cum manifeſtum ſit hujus ſæculi tempora, eſſe magis corrupta, quam illa fuere. Hanc corruptionem temporis moderni, & veſtri, & cujuſq; Sæcæ fuerint, in ſuis Concionibus deplorant. Vos igitur eſtis qui hoc corruptiſſimo tempore viventes, incorruptè docetis? Hoc ſuo animo ſeroci, vultis contingere Olympum.

Præterea, dicunt Patres non rectè intellexiſſe verbum Dei, ita Lutherus Tomo 2, Germanico, fol. 443, & 449. ait: *Origenes, Hieronymus, & propemodum omnes Doctores, excepto Auguſtino, non intellexerunt quid Spiritus & litera ſit: In libris ipſorum magna tenebra ſunt de fide.* Gregorij conciones, ne teruncium quidem valent, Diabolus eum in Dialogo ſuo craſſè decepit. Eſt ne tui Lutheri hoc elogium ingenui? An ignoras illud eſſe antiquum & commune reſugium Arrianorum, & omnium veterum Hæreticorum, qui cum à Patribus & Conciliis præmerentur. Verbo DEI, dicere ſoliti

Distinctio Quarta.

sunt, eos perperam Scripturas intelligere & exponere. Tales vos Wittebergenses cum his Patrum Iudices, qui tamen nobis minime fidem facitis, de vestro vero Scripturarum intellectu, & de contrario Patrum, sit ergo hoc pro vobis finale argumentum.

Illis Patres Sancti non sunt addicti, qui ipsos condemnant.

Sed Megalandristæ Patres Sanctos condemnant.

Ergo Megalandristis Patres Sancti non sunt addicti.

Major est evidens.

Minor ex dictis patet.

Non igitur vobis suscipiendum erat hoc temerè negotium, quo persuadere voluistis, favorem Patrum, erga vestram Religionem: imperitè hanc rem, tractastis, in arenaq; ædificium ædificastis, propterea è multis palcis, parum fructus collegistis, operamq; & impensam perdidistis.

Distinctio Quarta.

DE PATRIBUS IN CATALOGO TESTIUM VERITATIS POSITIS.



Exactissima cura author, qui scripsit Catalogum testium Veritatis, adnotavit ibidem Sanctos Patres, videlicet Basilium, Chrysostomum, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Bernardum, Thomam Aquinatem, Albertum Magnum, Joannem Scotum, Doctorem subtilium, & quam plurimos Doctores Scholasticos, & plerumq; lumina variarum religionum, eosq; ut fidei Lutheranz alumnos, Papæ reclamasse

clausisse dicit: Quam turpiter autem hoc in passu, iste author, qui
sua subiecit nomen se gesserit, videbimus.

CAPUT PRIMUM.

*An prædicti Patres in Catalogo testium veritatis positi
Religioni Lutheranae fuerint
addicti.*

HActenus VVittebergenfes caput sine lingua portabant: requi-
siti de Patribus Orthodoxam fidem profitentibus, de Monachis,
qui nam ex illis religioni illorum fuerint addicti, mutos se magis
quam sit scapha ostenderunt. Tandem aliquando gradu testudinis
incedentes, provocant ad Catalogum testium Veritatis, dicentes:
*Quos postmodum secuti sunt alij per singulas Centurias, uti refertur in
Catalogo testium Veritatis.*

Optimi VVittebergenfes, non potuistis ipsimet hoc arca-
num propalare? Nunquid vestra fides punica, testimonio Ca-
talogi magis corroborabitur? Ita sane, sic enim Judas Achitophe-
lem, & Achitophel Judam sustentare, atq; juvare solet.

Leguntur itaque in Catalogo testium Veritatis prædicti
Patres.

At isti, quomodo vestrae religioni sunt addicti? qua fron-
te adipforum convicia ultro acceditis? Quis illorum Patrum do-
cuit, opera bona esse solum fidei testes, & ad nihil aliud valere?
quis ex illis Patribus negavit meritum bonorum operum? Quis
eorum dixit, quod Deus sua gratia, qua operatur in nobis ope-
ra, non faciat nos habiles & dignos vita æterna? Ostendite VVit-
tebergenfes, hanc esse D. Augustini, aliorumq; Doctorum doctri-
nam, quod sola fide homo, justificetur.

Revoluite acurate istorum Scripta, & spondeo quod faci-
lius undas numerabitis, lanamq; de vestro alino tondetis, quam
hæc demonstrare poteritis. Isti enim omnes Patres, tantum au-
thoritatem Papæ contra vos pessimos Hæreticos tutati sunt, quan-
tum nemo unquam, ut ex ipsorum Scriptis clarè patet. Isti Prima-

cum Romani Pontificis, Invocationem Sanctorum, Purgatorium, Sacrificium missæ, Orationem pro defunctis docuerunt. Isti unitatem Ecclesiæ Catholicæ, Caput ejusdem, Potestatem Papæ, & clavium Ecclesiæ, virtutem Indulgentiarum, agnoverunt. Illi, Septenario numero Sacramentorum, Communioni sub utraque specie, Venerationi Sanctorum, Invocationi eorundem, non derogarunt. Ipsi fidem Petri, fidem Romanæ Ecclesiæ esse docuerunt. Isti in omnibus veræ fidei articulis, contra vos concordēs fuerunt.

Qua igitur fronte, positi sunt in Catalogo testium veritatis, ut testes Veritatis Lutheranae? An non potius erant ponendi, ut testes falsitatis versutiæ Lutheranae? Lutherus istos omnes Patres pronunciat Hæreticos, & damnatos, illosque passim rejicit, ac contemnit, ut hostes suæ veritatis: at Cretenses, vel dico Wirtebergenses, eosdem testes suæ veritatis, religioni suæ addictos esse dicunt.

O vos stupidos asinos! Cur prædictos Patres, non potius Idololâtras, vel Justitarios Regni Papistici fuisse, cum vestro Megalandro, dicitis? Nonne scitis, hos vestros testes, pro mortuis orasse, per defunctis Missam celebrasse, atque Sacrificium obtulisse, Purgatorium credidisse. Isti ergo qui talia fecerunt, & nobis facienda reliquerunt, sunt vestræ testes veritatis? O quam detestandus est error vester, qui Sanctos Patres laudabiliter vos imitari putatis, & vestros esse pronunciat, à quorum tamen virtutibus, tam longe alieni estis, quàm falsitas à veritate. An non recte de vobis D. Augustinus dixit, lib. 3. in Conf. *Sunt qui seducunt per Philosophiam, magno, blando, & honesto nomine, colorantes & succantes errores suos.*

Hic est vester egregius color, dum CHRISTUM fidei Lutheranae authorem esse dicitis, consensum doctrinæ Apostolicæ atque Patrum Orthodoxorum vobis vendicatis, reliquos in Catalogo notatos in testimonium vestræ veritatis, falsò ac impudenter assumitis: re autem ipsa, quàm perpulchrè mentiri vos non pudeat, cui liber

libet intuenti vestras calliditates Sathanisticas, plus quam perspicuum est.

CAPUT SECUNDUM.

D. Thomas Aquinas, Doctor Angelicus pro peculiari testimonio veritatis Lutherana notatus, non favebat religioni Lutheranorum.

Quod nunquam in Ecclesia Dei, & religione nostra est auditum, id recenter ab Officina Wittebergenſium est profectum, dum præter Sanctos Patres, superius enumeratos, etiam S. Thomam, Dominicanæ religionis gemmam præfulgidam, Orbis Christiani decus Illustriſſimum, suæ Lutheranæ veritatis testem vocitare non erubescunt.

Novum sanè est, illud Universalis Ecclesiæ lumen præfulgidum, gemmam radiantem clericorum, fontem Doctorum, Universitatis Parisiensis speculum clarissimum, Lutheranæ religioni adhaesisse. Novum est, illam doctrinam hujus Sancti, quæ tanquam veridica & Catholica sectari jussa est, esse doctrinam perversissimorum Hæreticorum. Novum est, illum qui veritatem Catholicam corde, & ore comprobavit, fuisse testem falsitatis Lutheranæ. Novum est Sanctum Doctorem, qui veritate suæ doctrinæ, omnes hæreses, & præteritas, & subsequentes, confusas, & convictas dissipavit, ac validissimè expugnavit, hæreticis additum esse. Novum est illum, cujus meritis ac doctrina, orbis terrarum, à pestiferis quotidie erroribus liberatur, errorum & immanissimarum hæresum Lutheranorum, fautorem fuisse. Novum est illum, cujus Scripta ac Doctrina Salvatoris Crucifixi, ore mirabiliter probata fuit, testificari de horrendis blasphemis, doctrinæ Lutheranæ.

Wittebergenſes tamen, qui pudorem omnem dediderunt, fautores suæ doctrinæ nominant, ex illis qui sequuntur per singulas Centurias, in Catalogo testium Veritatis: Inter quos cum D. THOMAS Doctor Angelicus, libr. 16. Catalog. Colum. 1633. & sequentibus sit positus, nescio, an joco, an serio eundem esse

testem suæ veritatis, & additum Lutheranae religioni profiteantur. Magis tamen mihi persuasum habeo, quod hæc Wittebergenses, qui in suis negotiis cordati sibi videntur, serio agant; & serio Sanctum Doctorem Anglicum, suæ veritatis protectorem esse asserant.

Verum enimvero, vestram Wittebergenses intentionem, vix explorare possum: Grandis est vestra Professio hæc, quia Patres in Centuriis Catalogi notatos, inter quos est D. THOMAS, consentire vestra cum doctrina dicitis, at major in hoc vestrum mendacium, quia omnibus notissimum est, D. THOMÆ doctrinam, tantum à vestra distare, quantum cœlum à terra: quapropter non sine causa videmini mihi duabus sedere sellis, & ambabus satisfacere velle.

Nunc ergo, purgatis auribus hæc, quæ vobis adferam percipite, & videte D. THOMAM, nunquam fuisse vestræ addictum, religioni, ejusque doctrinam, non cum vestra doctrina consentire.

Primo:

Si D. THOMAS habuit aliquem consensum suæ cum vestra doctrina, profecto non eam vester superbus bucephalus Lutherus, mera figmenta vocitare præsumpsisset, nec veluti insulsißimas opiniones contempsisset.

At qui Lutherus doctrinam D. THOMÆ, mera figmenta esse dixit, & velut insulsißimas rationes contempsit.

Ergo D. THOMAS nullum habuit suæ doctrinæ, cum vestra consensum.

Majorem Wittebergenses non negabunt.

Minor est Lutheri in art. 17. de Indulgentiis, ubi dicit: *Præter hæc, nullis Scripturis sua probant, sed sola impia illa extra vagante Clem. 6. ex Opinionibus THOMÆ insulsißimis, & meris figmentis concepta.*

Hic ne est testis vestræ veritatis, hic vestræ fidei addictus, hujus doctrina cum vestra consentit, quem, idolum vestrum, Patriarcha, vel potius immanissimus Hæresiarcha, sprexit, contempnit? Ecce quomodo per vos destruitur Universum, in quo est ordinatum, ut ver hyemem sequatur, vos autem doctrinæ Lutheri in hoc passu contravenitis, sequendam contemnitis, nec vultis esse tanti patris filii: Apparet multum esse vobis piperis, propterea etiam oleribus immiscetis, multum mendacii, quia illud interfere-re, & in doctrina religionis, non desinitis.

Secundo idem demonstratur. Sanctus Thomas Aquinas ut vita ipsius & Annales Ecclesiæ testificantur, fuit religiosus, Sacri Ordinis Fratrum Prædicatorum, Sanctissimi Patris Dominici, authoris Ordinis ejusdem spiritualis filius, quorum sanctitate, ac doctrina, fulget Ecclesia ut sole luna.

Wittebergenses autem, statum religiosorum & Patres Monachalium Ordinum authores ipsorumq; Sanctitatem contemnunt, & suo infræno ore contaminant, apparet ergo quod D. Thomas, qui ad ultimum vitæ terminum in statu religioso, quem Wittebergenses detestantur, vixit, nunquam fuerit religioni Lutheranae addictus. Quid vero Wittebergenses de Sanctis Patribus, ordinum, fundatoribus sentiant, quilibet videre potest, in ipsorum fidei admonitione fol. 72. & 73. ubi illorum Sanctorum Patrum sanctitatem, non veram, sed potius superstitiosam, pharisaicam, fabulosam, falsis hypothesibus superstructam vocant; tali cum probatione, quali in omnibus suis mendaciis uti consueverunt. Quomodo igitur Wittebergenses, filius spiritualis illius Parentis, quem vos superstitiosum dixistis, vester est? Quomodo vestræ religioni addictus, cujus cor longè abesse à Deo judicastis? Quomodo ille consentit vestra cum doctrina, qui neglexit (ut dicitis) præcepta divinitus tradita? O callidos simulatores, refert Valer. Max. lib. 1. cap. 8. de quodam Aristomene Messenio, qui sua tempestate homines eximia quadam astutia, & calliditate longè superasse dicitur, cujus defuncti cor cum exsectum esset, pilis refertum fuisse ferunt: si alicui licitum foret, cujuslibet vestrum cor ex-

fecare, non pilis refertum esset, sed loco cordis Vespertilio inventus esset, optimum doli hieroglyphicum. Quo enim sine consensu doctrinae D. THOMAE cum vestra jactitare presumitis, nisi ut simulata mente, quae semper vstro sub pectore vestro est, decipere possitis? Non invenietis fraudulentum lucrum.

Tertio, non video quomodo doctrina D. THOMAE, vestra de veritate testificari possit, cum plurimum ab ipsa dissentiat, vestraque dogmata damnet. Hic gratia exempli proponemus aliqua. Inter cetera I. vestrae veritatis dogma est, quod in Ecclesia militante, nullum requiritur caput visibile, ita fidelis admonitio fol. 57. (licet cuidam Schneidero Wittebergensi displicat folium, quid ad me?) II. Papa non est caput Ecclesiae, 127. 128. III. Communio sub una specie dogma prorsus est ἀντίρρονον, folio 177. IV. Ecclesia Romana errorum rea est, 251. V. Invocatio Sanctorum est dogma ἀντίρρονον, 163. VI. Miracula in Ecclesia Romana ficta, simulata, Diabolica, 76. 77. VII. Nulla bonorum operum merita, 173. Penitentia duabus partibus constat, contritione, & fide. Non commemoro alia multa, sufficienter à Doctoribus nostris expugnata.

Horum igitur tam perversissimorum dogmatum, fuit olim expugnator acerrimus D. THOMAS Aquinas. Primum dogma condemnavit vestrum 1. p. q. 32. art. 4. ubi discursum facit, quomodo aliquis potest esse vel non esse Hæreticus, ex cujus ratione & discursu, damnatur Hæresis Hieronymi Pragensis dicentis, Ecclesiam Romanam non esse caput omnium Ecclesiarum, & Joannis Westphalii dicentis, Ecclesiam errare posse, per quod damnatur & tertium dogma, cujus nullitatem sufficienter in nostro opusculo, quod intitulatur *Sacra mensa Corporis & Sanguinis Christi Domini*, demonstravimus: præcipue in Assertionibus Catholicis, de Communionem sub utraque specie, fol. 23. Ibidem damnatur secundum dogma, ubi Papam esse Caput & Judicem Ecclesiae, ex discursu illius uberrime colligitur.

Quartum dogma damnavit 3. par. art. 164. & in pluribus aliis tam antecedentibus, quam sequentibus.

Quintum dogma vestrum damnavit 3. parte de Salvatore, q. 26. articuli 1. ubi clarissimè tractat, de mediatore Dei & hominum CHRISTO, & ex ratione secunda Conclusionis, damnatur Hæresis Vigilantiū dicentis, quod Sancti in coelo non orant pro vivis, ideo non sunt in nostrum auxilium invocandi. Videtis Wittebergenſes quomodo in vobis hodiernis veteres revixerunt Hæretici, non autem in nobis, ut fingitis in fideli admonitione, folio 100.

Sextum dogma damnatur 1. part. q. 105. art. 7. ubi etiam commemorantur per commentatorem ejusdem D. Thomæ, Eunomius, & Vigilantiū dicentes: Miracula Sanctorum fuisse præstigijs Damonum. Et pauperes de Lugduno dicentes: Miracula in Ecclesia nulla vera fieri. Horum Wittebergenſes procacitatem, sequuti sunt, qui iisdem erroribus, quibus veteres Hæretici, innitentes, malicioſè miracula Ecclesiæ Dei dicunt ficta, simulata, & diabolica esse.

Septimum dogma vestrum damnat D. Thomas 1. 2. art. 39. ubi concludit, quod nulla pura creatura convenienter beatitudinem consequitur, absq; motu operationis, per quam tendit in ipsam.

Octavum dogma de partibus pœnitentiæ, damnat D. Thomas 3. part. de Sacramentis art. 186. ubi dicit, quod remota materia pœnitentiæ sunt peccata, de quibus pœnitens dolet, & qua confitetur, & pro quibus satisfacit.

Omnia deniq; dogmata, tam recëntium, quàm antiquorum hæreticorum, quæcunq; excogitare potuerant, sive de Indulgentiis, sive de Ceremoniis Ecclesiæ, sive de Justificatione imputativa, sive de Papa AntiChristo, & infinita alia, exactissimè suis Scriptis S. Doctor refutavit, & acerrimè expugnavit, quod quilibet videre ac judicare potest, ex Indice doctrinæ ejusdem contra Hæreses, ad primam partem affixo.

Quod vero Author Catalogi asserit D. Thomam (de Justificatione, Fide, Prædestinatione, de Peccato originis, Sacra Scriptura, Gratia Dei, Adoratione, Ecclesia, Communionem sub utraq;

specie, conjugio Sacerdotum) suarum partium esse, in illisque articulis non conformari Ecclesiæ Catholicæ doctrinæ, id plusquam falsissimum est. Cujus enim fuerit D. THOMAS de Justificatione sententiæ contra Hæreticos, remitto Wittebergeneses ad scripta ejusdem in 1. sec. art. 508. & 587. De Fide. 1. sec. art. 602. & 2. sec. art. 242. De Prædestinatione, 1. part. q. 23. per totam. De Peccato originis, 1. sec. art. 436. & 437. De Scriptura, 1. part. & 2. sec. art. 651. & 904. & 3. part. De Sacram. art. 92. De Gratia 1. part. & 1. sec. art. 609. & art. 580. & alias Assertionēs Catholicas sibi oppositas, si non cæcipientes sunt, passim in illius Scriptis videre possunt. Ille vero Catalogi author, pro more hæreticorum pessimo, unum atq; aliud verbum D. Thomæ arripiens, in sui sententiam trahit, minimè illius totali discursu ac rationibus pensatis, quò suam dementiam magis quàm ingenium prodit.

Quæ igitur est illa veritas vestra Wittebergeneses, cujus D. Thomas fuit testis? Ille in statu, in moribus, in Doctrina, & per omnia à vobis dissimilis, & quomodo vestræ veritatis testis?

Omnis quidem arrogantia odiosa est, hæc tamen vestra est molestissima, quia majora, quàm quæ insunt vobis vendicatis, & sumitis: quocirca stultorum potius, quàm pravorum speciem gerere videmini.

Perpendite Wittebergeneses aureum D. Cypriani de vobis dictum: *Ignosci potest simpliciter erranti, sicut de seipso Paulus dicit: (qui primo fuit blasphemus & persecutor & injuriosus) sed misericordiam merui, quia ignorans feci. Post inspirationem vero, & revelationem veritatis factam, qui in eo quod erraverat, perseverat, prudens & sciens, jam non in venia ignorantie peccat, presumptione enim atq; obstinatione quadam nititur, cum ratione superetur.*

Satis vos superati estis, quia callidè CHRISTUM Dominum vestræ fidei autorem pronuntiatis, Consensum doctrinæ Apostolicæ, Patrumq; Orthodoxorum vobis vendicatis, & tamen ex inflexibili mentis obstinatione, melioribus non vultis cedere, undè & captantes capti, & hujus Syllogismi optima materia facti estis.

Ha religio est fugienda, quæ non habet CHRISTUM
JESUM autorem, nec per omnia cum Apo-
stolis consentit, nec innititur doctrinæ Patrum
Orthodoxorum.

Sed talis est religio Lutherana.

Ergo est fugienda.

Major est etiam apud Wittebergenses vera.

Minor in toto hoc libello sufficienter probata est.

*Revertimini igitur Aegyptij ad Dominum, & placabitur vobis, &
sanabit vos ab impietate vestra.* Faxit DEUS ut tandem salvemini.

Catholicum autem Lectorem oro, ut pensatis his rationi-
bus, ac visis tot immanissimis moribus Lutheranorum, illos ut
pestiferos fugiat, religionem abominetur, & fidem
veram Catholicam, foveat, ac

retineat.

A M E N.

Ad majorem DEI gloriam & Religionis
Catholicæ propagationem.



[Faint, illegible handwritten text]

Orbexilum.

...abandon? for up

Majority of citizens are

Almer in technobello indicat probat.

...the ... of ...

vor dem Herrn verbleibe. Die in diesem Buche

to view the international relations of the United States

petitioris fugae, religionem abominatur, & adeo

vetum Catholicum, foveat, ac

• 2000

Δ Ε Μ Ε

Ad maiorem Dei gloriam & Religionis
Catholicae propagationem





